BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
149
A
6
NAPOLI

LAURENTII INGEWALDI
ELINGII,
In Regia Upſal. Academ. P. P. Ordin.

# HISTORIA GRÆCÆ LINGVÆ,

CUM PRÆFATIONE
ADAMI RECHENBERGI,
P. P. Lipſienſis.

---

*LIPSIÆ,*
Impenſis JOH. FRID. GLEDITSCH,
Anno M DC XCI.

NAPOLI

VIRO
*Maxime Reverendo & Ampliſſimo,*
DOMINO
# JO. BILBERGIO,
SS. Theologiæ in incluta Academia Upſalienſi, P. Profeſſori Regio, Viro celeberrimo,

*Amico & Fautori ſuo magnopere colendo,*

Salutem & charismata divina largiſſima!

QVamvis nihil fere juris, mihi in librum hunc competat; eum tamen, VIR Doctiſſime, no-

 mine

mine Tuo inſcripto ornare auſus ſum, non una ratione inductus. Is enim a collega, non ita pridem in Academia patria Tuo elaboratus, argumentum tale complectitur, quale in deliciis Tibi ſemper fuiſſe, ex eo tempore, quo ante tria circiter luſtra, Lipſiæ mecum iniiſti amicitiam, eamque poſtea in aliis quoque Academiis ſervaſti illibatam, novi. Nec poſtidea temporis Græcæ Lingvæ Te cepiſſe faſtidium, cum ex literis Tuis humaniſſimis,

nis, tum ex amicorum, qui ex Svecia huc venientes, me ſalutarunt, teſtimoniis compertum habeo. Cui ergo potius fœtum hunc parente ſuo jam orbatum addicerem, qui ejus tutoris velut partes ſuſciperet, quam Tibi, *Vir ampliſſime*, qui patria, qui ſocietate Academica eadem cum autore, qui inſigni eruditione Græcanica & amore in has literas, ante alios maxime gaudes? Ac licet nunc MAXIMI REGIS, (quem Deus ſervet!) juſſu,

ſacram in Academia ſpartam ornare ſuſtinueris; Græcas tamen Muſas Te adhuc fovere, literis nuperrimis ad me datis abunde edoctus ſum. Vel, ſi etiam hæ cauſſæ compellationem hanc forte minus Tibi redderent gratam, ſcio, affectus in Te mei ſinceri conſtantiam, quam præcipue hac inſcriptione teſtari volui, debui; non diſplicituram eſſe. Locorum quidem longo intervallo ſejuncti vivimus; at illud animorum honeſtam con-

conſpirationem non impedit, aut exſtingvet, quamdiu dabitur, ὁρᾷν φάος ἠελίοιο. Itaque pignus hoc amoris mei habe, atque accipe, πρόφρονι θυμῷ, quem in me ſemel induiſti. Vale, & quod facis, fave.

*Celeberrimi Nominis Tui*

Lipſiæ Cal. Mart.
M DC. XCI.

*cultori ἀνυποκρίτῳ*

A. RECHENBERG.

*LECTO-*

## *LECTORI BENEVOLO*
## εὖ διάγειν.

UT Græca lingva inter omnes, quas quidem eruditos ſcire oportet, utilis maxime & ad artes atque ſcientias diſcendas neceſſaria eſt; ita bene de re litteraria mereri eos, qui hujus lingvæ hiſtoriam adornare aggreſſi ſunt, nemo opinor, facile negabit. Inprimis, ſi animo reputet ſuo, profundam illam barbariem & craſſam ignorantiam, quæ tamdiu bonas literas obſederat, ſcholasque & clauſtra Monachorum occupaverat, magnam partem ex ejus ſermonis inſcitia manaſſe; contra vero gentes, apud quas purior illius cognitio viguit,

rerum

rerum cum divinarum tum humanarum fuiſſe peritiores, quam quæ iſta cum barbaris fuerunt deſtitutæ. Itaque rei litterariæ intereſſe videtur, ut lingva hæc in plerasque Europæ, Aſiæ atque adeo Africæ regiones ſeſe effuderit, ac ita ſimul cum eadem ſcientiæ & artes liberales fuerint propagatæ. Quam utiliſſimam hiſtoriæ litterariæ partem, cum multi viri doctiſſimi hinc inde attigerunt, tum *Clariſſimus Vir*, LAUR. INGEWALD. ELINGIUS *νῦν ἐν ἁγίοις*, libro hoc erudito perſequi inſtituit. Cujus legendi copiam, cum mihi amicus meus perdilectus, *Laurentius Molinus*, Svecus, Vir-Juvenis eruditione ac morum probitate inſignis faceret, rogans inſuper, ut mea forte opera aut conſilio typis exſcriberetur publicis, quo *Autoris eruditiſſimi* præmatura morte vivis jam erepti apud poſteros, aliquod induſtriæ ac erudi-

ruditionis ſuæ extaret monumentum; non potui non tam honeſto viri deſiderio, hac in parte velificari. Præſertim cum Bibliopola, vir integerrimus, amicus & compater meus dilectus, cui librum hunc excudendum obtuleram, ſe non difficilem præberet, ad ſumtus ſuppeditandos, qui ad impreſſionem ſunt neceſſarii, ſi illi præfationem adderem. Quod officium petenti denegare, cum parum videretur humanum, librum hunc evolvi, deprehendique autorem modo laudatum ſingulari induſtria eum compoſuiſſe ac multa, quæ ſtudioſæ Juventuti elegantibus bonisque literis deditæ proficua ſunt, attuliſſe. Nam etſi nonnulla, quæ ad ampliorem hiſtoriæ hujus lucem facere videntur, parcius attigit, aut prætermiſit: (ut de lingva Punicæ cum Græcæ convenientia, de dialectorum variarum cauſſis, numero ac proprietate, de pronun-

nun-

nunciatione, atque accentuum & ſignorum vulgo adponi ſolitorum antiquitate & ratione;) tamen illa ex aliis clariſſimorum virorum commentariis paſſim obviis, facili opera ſuppleri poſſunt. Novum multis ϑέρημα videbitur, quod virum profundæ eruditionis *Rudbeckium in Atlantic. p.32. & 38.* ſecutus, characteres Græcos, non a Cadmo & Phœnicibus primum accepiſſe Græcos, ſed a Runis veterum Gothorum profluxiſſe exiſtimat: quia literæ Græcorum pleræque nihil aliud eſſent, quam Runæ inverſæ, & quas Phœnices ultra numerum Runis reſpondentem habuerint, eas ab Hebræis vel Chaldæis accepiſſe, aut ab ipſis excogitatas fuiſſe. Verum nos hanc opinionem litteraturæ Runicæ ſimul & Græcæ peritis examinandam hic relinquimus; addubitantes eam apud eruditos fidem inventuram eſſe. Cauſſas cor-

corruptæ Gr. lingvæ §. *LXXIII.* breviter attingit. Prolixiorem in illis enarrandis operam inſumſit Gallus doctiſſimus, *Carolus du Freſne, Dominus du Cange, in præfatione Gloſſarii ad ſcriptores mediæ & infimæ Græcitatis.* Nam is demonſtrat, lingvam hanc pervagando tot gentium provincias, ſordes vel idiotiſmos multos contraxiſſe; ita, ut Græci Macedones, Syros, Ægyptios, Italos, Gallos, Siculos inter degentes, multa ex eorum loquela ſuæ adfricuerint lingvæ; ut illi contra ſuum idioma pluribus Græcis vocabulis corruperint. Doctiſſimus *Salmaſius* arbitratur, Romanos rerum potitos, hanc quoque innumeris, qua vocibus, qua loqvutionibus ita inquinaſſe, ut omnes Dialectorum varietates fuerint abolefactæ; cum nullus amplius Atticiſmus, Joniſmus, Doriſmus vel Æoliſmus in communi loqvendi con-

conſvetudine vigeret, quæ in totum mutata & corrupta habebatur, & uniformis ſermonis Græci facies per univerſam Græciam diffunderetur, eaque corruptiſſima. Atque hoc eo minus mirandum eſt, quo frequentius accidit, ut, dum quis inter alterius labii vel lingvæ homines verſatur, eorum idiotiſmo velut inficiatur. *Julianus* Imperator, Atticæ elegantiæ alioqui addictiſſimus, de ſe hoc fatetur *Epiſt. LV.* τὰ δ' ἐμὰ εἰ καὶ φθεγγοίμην ἑλληνιστὶ, θαυμάζειν ἄξιον οὕτως ἐσμὲν ἐκβεβαρβαρωμένοι διὰ τὰ χωρία. Quam ob cauſſam etiam Patres Græci præſtantiſſimi, Euſebius, Athanaſius, Baſilius M. uterque Gregorius, Chryſoſtomus, præfatione aliqua præmiſſa, lectorem præmonere ſolebant, ne barbara forte, qua uſuri erant dictione, offenderetur. Unde & mirum videri haut debet, ſi in libris Βασιλειχῶν & ſcriptori-

ptoribus hiſtoriæ Byzantinæ tam crebro vocabula barbara & corruptas dictiones legamus. Nam ita Græcia per aliarum gentium, maxime Turcarum barbariem corrupta eſt, ut teſte *Symeone Cabaſila*, ſeptuaginta ibi dialecti fuerint enatæ. Et ipſe *Symeon Zygomalas* miratur, nullibi teteriorem magisque corruptam eſſe vulgarem Græcorum ſermonem, quam apud Athenienſes, Atticarum quondam elegantiarum parentes. Sed unde noſtræ Germanicæ lingvæ Græca vocabula & loqvendi genera admixta fuerint, etiam quæri alias ſolet. *Berneggerus Quæſtion. Miſcell. in C. Taciti libr. de M. Germ. XI.* exiſtimat, colonos Græcos in Germania olim alicubi conſediſſe, quod in tot gentium migrationibus & commixtionibus non adeo mirandum eſt. Unde enim alias tumuli quibusdam Græcis literis inſcripti, in confinio

ſimio Germaniæ Rhetiæque, *C. Taciti* ætate extantes fuiſſent? *Joh. Trithemius Polygraph. l. V. lit. q.* de præceptore ſuo Johanne Camerario Dalburgio memorat, quod aliquot millia Græcarum dictionum collegerit, quæ in utraque lingva Græca & Germanica eosdem ſignificatus habeant. Et *Berneggerus* affirmat, ſi quis id operæ laborisque ſumere vellet, poſſe utique multo grandius de Germanicæ Græcæque lingvæ cognatione volumen confici, quam vir de literis, præcipue Græcis optime meritus, *Henricus Stephanus*, de Lingvæ Græcæ cum Gallica conformitate compoſuiſſet tractatum: Et ne res exemplis, ipſe fide careat, e ſolo *Thucydide* phraſes quasdam Græco-Germanicas l. c. exhibet. Imo recte affirmat, paucas e Syntaxi Græca, regulas a Latinis diverſas inveniri, quæ Germanicæ lingvæ non poſſint exemplis illuſtrari.

Ad-

Addo, & epitheta Græca compoſita apud Homerum,& aliosGræcos Poëtas, optime vocabulis Germanicis, maxime in Poëſi Germanica exprimi poſſe. Ceterum *Bernegger*us etiam catalogum vocabulorum,quæ Græcis &Germanis idem denotant, ordine alphabetico diſpoſitum contexuit, qui facile acceſſione quadam locupletari poſſet. Tentavit hoc non ita pridem, vir conſultiſſimus *D. Georgius Chriſtophorus Peiskerus*, indicem, de *Vernaculæ & rerum Germanicarum ſignificatione, pro Græcæ ac Germanicæ linguæ analogia*, anno 1685. Lipſiæ evulgando. Cui ſententiæ adſtipulatur vir clariſſimus *Joſephus Maria Belinus*, qui in literisad nos a.1686. perlatis, in itinere ante qvadriennium per Cermaniam facto, deprehendiſſe ſe profitetur, *lingvam Germanicam omnino Græcam eſſe; Græcam lingvam vocalibus & ſylla-*

*ſyllabis circumciſam, & conſonantibus roboratam, ita, ut quemadmodum Bononienſium lingva in Italia, ſe ad Italicam haberet, ita Germanicam ad Græcam.* Quod viri eruditi teſtimonium, ad lingvæ noſtræ vernaculæ præſtantiam & antiquitatem facit. Quam jam ante, *vir ſummus, & omnis elegantioris litteraturæ promus condus, Morhofius, in disquiſitionibus, de Germanica lingva & poëſi*, argumentis ſane ingenioſis aſſeruerat. Tandem, ut Græca lingva, ex Italia, ſub initium ſuperioris ævi, Alpes transvolavit atque ſedem in Germaniæ ſcholis invenerit primum, operæ pretium foret paullo prolixius enarraſſe. At, ne novam hiſtoriæ hujus partem attexere voluiſſe nos, videamur, ſummo tantum digito primos, eosq; præcipuos literaturæ hujus in Germania inſtauratores indicaſſe, hic ſat erit. Hi fuerunt *Johannes Reuchlinus*

b (*Ca-*

(*Capnio*, vulgo dictus) *Eraſmus Roterodamenſis*, *Rudolphus Agricola*, *Rudolphus Langius*, *Richardus Crocus*, *Petrus Moſellanus*, *Philippus Melanchthon* & *Joachimus Camerarius*. Hi inquam, quos ultimo loco nominavi, dum in Academiis Lipſienſi & Wittebergenſi, has literas magno cum adplauſu docerent, plurimos erudierunt viros Græce doctos, Scholis & Eccleſiæ poſtea utilem operam navantes. De quibus in laudatorum virorum vitis, ac apud *Chytræum Chron. L. III.* legere eſt. Unde, ſi eorum monumenta litteraria, libelli Grammatici, ac Epiſtolæ aſſumantur, ſupplementum hiſtoriæ hujus confici poſſet prolixius. Interim laudati Elingi opera, ſtudioſæ juventuti uti fruique licebit. Vale Lector benevole & fave. Lipſiæ Cal. Mart. M DC XCI.

PRÆFA-

# PRÆFATIO AUTORIS.

NAtura, quæ rerum omnium parens eſt, pro communi ejus fragilitate, ac commutabili ratione, rebus cunctis ineſt velut volubilis quidam orbis. Hinc, quæ quo altius ſurrexere, in occaſum pronius vergunt: nihil quippe in orbe terrarum firmum ac ſtabile eſt, ſed cuncta vicibus ſuis aut pereunt, aut certe mutantur: Nihilque in mortalium rebus ad ſuam pulcritudinem ſic exactum, quod tandem poſt definita tempora non exſpiret. Ut hominibus ſingulis ſuæ ſunt ætates, & tandem mors: Ita oppidis, Rebuspublicis, Regnis ſuæ ſunt viciſſitudines. Incipiunt, ſtant, florent: & omnia ideo, ut cadant. Oriens quondam floruit & Aſſyria, Ægyptii & Judæi armis & ingeniis exercitatiſſimi erant. Sors ea in Europam tranſiit:

*quæ tamen ipſa inteſtino odio fracta ſuo caſui vicina exiſtit. Sic Romanum imperium ſub Auguſto Cæſare, cujus animus orbi terrarum par erat, dum morum magiſtra diſciplina ſtaret, ad ſummum potentiæ culmen, armis longe ac late per totum orbem circumlatis, evectum eſt: Aſt ſub Tiberio, Caligula, ac aliis imperii peſtibus, cum ob virtutes certiſſimum eſſet exitium, quaſi conſenuit atque decoxit. Hi quippe Cæſares, dum humana omnia infra ſe ſita viderent, falſo, quæcunque potuere, etiam licere ſibi exiſtimarunt. Fortitudine ſua Veſpaſianus Rem Romanam fere reſtituerat; quam Domitianus, in quo Cæſarum improbitas velut conſummata erat, cum ultra, quo procederet, non haberet, flagitiis ſuis denuo protritum ivit. Nec minor erat virtus Trajani, quam Veſpaſiani. Nam ſub hoc laudatiſſimo principe*

*cipe Reſpub. lacertos movebat, ac ſene-ctus imperii, quaſi reddita juventute, revireſcebat: ſed retro ſtatim ſublapſa ferebatur, usque dum plane decreſceret ac ſubverteretur. Ita urbs rerum illa domina, quæ bellis invicta erat, ſuis victa eſt vitiis. Hoc non tantum in imperiorum mutationibus contingere videmus: ſed etiam documento nobis ſunt illæ ipſæ ſcientiæ ac diſciplinæ, quibus quotidie operamur, & præter has, Græcæ litteræ, quæ ſunt omnis non prudentiæ duntaxat, ſed & ſapientiæ altrices uberrimæ. Quemadmodum ceteris in rebus ſunt quædam temporum varietates: ita in Græcarum litterarum notitia, ne jam de reliquis diſciplinis loquar, ſtudiorum vices vertuntur. Græcia incluta illa omnium ingenuarum artium nutrix, cujus lacte magni illi Romuli nepotes eloquentiam ac doctrinam ſuam aluere, cum legibus a*

 Solone

*Solone & Lycurgo ſalutariter excogitatis obediret, ſemper cladibus ſuis major erat, & per cædes, ac per damna ab ipſo ferro animum opesque ſumebat, & lingva ejus inprimis Athenienſium, ob ſuum nitorem ac elegantiam ea erat præſtantia, ut nihil ob florentisſimum Reip. ſtatum ad ejus perfectionem accedere poſſet, donec tandem, inter diſſenſionem Athenienſium ac Lacedæmoniorum inter ſe contendentium, utri Græcorum duces forent, poſt mortem Imperatoris Thebanorum ſtrenuisſimi Epaminondæ, cujus interitu & Thebarum & Athenarum virtus intercidit, ſordidum & obſcurum antea Macedonum nomen emergeret, cum Philippus Magni illius Alexandri pater velut e ſpecula toti Græciæ inſidias nectens Græcis in mutuum exitium ſine modo ruentibus, ac domeſtico madentibus ſangvine jugum ſervitutis*

impo-

*imponeret. Proprium enim hoc magnæ fortunæ eſt, ut ex omni rerum copia vitium trahat, cum in ſomnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis in otium, a rectis ad prava deſciſcitur. Hinc diſſenſiones naſcuntur & factiones, quæ iram Summi Numinis excitatum eunt. Ita tandem fortuna, quæ nunquam ſimpliciter indulget, tanti oneris impatiens proprio ponderi cedit, ut exſangves cives mutuis adtriti cladibus exteræ alicujus nationis juſſis obnoxii fiant. Verum fortuna alicui ſemel nocere non contenta. Nam cum univerſæ Græciæ Imperium ad Romanos, ultimo Macedonum Rege Perſeo a L. Æmilio Paullo devicto, devolutum eſſet, lingva Græca non minimum paſſa eſt detrimentum, cum Romani ſevere juſſerint Prætores aliis nationibus ſub ſuam poteſtatem redactis tantum Latine reſponſa dare. Quin & aliud*

*ma-*

*malum acceſſit. Etenim cum aliæ gentes, abundantia virium ſedes quæritantes, nutantibus Romani Imperii rebus, late omnia, caſtris poſitis & conditis urbibus tenerent, Græcæ linguæ puritas non parum contaminata eſt. Attamen humanitas cum illis malis luctata eſt; quoad ſub Mahometo ejus nominis ſecundo, Turcis, quod ferum genus, & ad literarum excidium natum funeſtis Chriſtianorum diſſidiis, quam ſua virtute felicius eſt, Græcia Muſarum illud & gratiarum auguſtiſſimum ſacrarium in prædam conceſſit. Exſtitit tandem tempus, quo litteræ, cum habeat has vices conditio mortalium, ut triſtibus læta miſceat, crudelitate ac immanitate Turcarum oppreſſæ ſe erigebant. At cum ſurgerent, nondum adulta ſtirpe exaruiſſent, niſi ſingulari Dei Opt. Max. beneficio lux mentibus quorundam adfulſiſſet, & ab hominibus ſera demum extorta eſſet ignorantiæ politioris litteraturæ confeſſio. Hinc exorta ætas illa, qua ſtudia tam pulcra habuerunt incrementa, adeo ut non ſolum priſtinum vigorem, ac Virtutem antiquam recuperarint, ſed & prope ſuperarint. Hæc omnia & reliqua, quæ huc ſpectare poſſint, cum a capite arceſſere, ac altius quaſi a fonte repetere decreverim, id Te, Candide Lector, rogatum velim, ut me favore tuo proſequaris.*

HISTORIA

# HISTORIA GRÆCÆ LINGVÆ.

I.

Ipſa corporis humani conſtructio, organa nempe uſui loquelæ accommodata, ut & ſocietatis humanæ appetitio, homo quippe natura ad ſocietatem trahitur & ducitur, manifeſte evincunt ſermonem, qui eſt quaſi nuncius quidam rationis & interpres, omnibus hominibus a natura inditum ſive tributum eſſe. Alioqui cum hujus defectu manca atque imperfecta, vel potius nulla eſſet ſocietas. Quomodo enim urbium conditores effecturi fuiſ-

A ſent,

ſent, ut vaga illa multitudo in populos coiviſſet, niſi voce perſvaſa ac commota? Ratio res abditas quidem inveſtigat, inveſtigatas comprehendit, digerit & componit, præterita recordatur, cernit inſtantia, futura conjectat: Verum hæc omnia veluti quibusdam obruta tenebris laterent, incluſa penitus in pectoribus & animis noſtris, niſi ea promere loquendo poſſemus. *Quin ipſa vitæ præcepta*, ut eleganter pro more ſuo loquitur Quinctilianus Inſtitut. Orator. lib. 2. cap. 16. *etiamſi natura ſint honeſta, plus tamen ad formandas mentes valent, quoties pulcritudinem rerum claritas orationis illuminat.* Quocirca verba hæc, quæ Geneſi 2. Commat. 7. leguntur: *Et factus eſt homo in animam viventem.* Paraphraſtes Chaldæus Onkeloſus tranſtulit: *& fuit in Adamo Spiritus loquens.* Hinc Hebræi animalem rationem per notitiam & loquelam defini-

finiunt, ut oſtendit Heideggerus in de Hiſtoria Sacra Patriarcharum tomo priori Exercitat. XVI. theſ. 2.

II. Homini quamvis inſit naturalis loquendi potentia, non tamen ipſa verba ſignificant naturaliter, id eſt, per connexionem aliquam naturalem verborum cum rebus, quum ex inſtituto, ſive *κατὰ συνθήκην*, hoc eſt, ex placito hominum eadem ſocietate utentium ſint inventa, ac per inſtitutionem ac conſvetudinem addiſcenda. οὐδὲν γὰρ τῶν φύσει ὄντων ἄλλως ἐθίζεται, ut tradit Ariſtoteles ſummus ille ſapientiæ conſultus lib. 2. Ethicor. cap. 1. Sed voces non ſunt apud omnes eædem, ut neque literæ. Ergo non natura aliquid deſignant. De qua re ita ſcribit Julius Cæſar Scalig. Lib. 3. Cap. 67. de Cauſis Lingv. Lat. *Si enim natura eorum eſſet auctor, unus omnium modus eſſet, una enim natura: velut in aviculis manifeſtum eſt: ea e-*

 *nim*

*nem ſua in ſpecie æque idem cantillant omnes. At quod ab arte eſt, & diſcunt, & dediſcunt.* Non recte igitur Jamblichus ſentit, cum dicit nomina eſſe κατὰ φύσιν, ut liquet ex his ejus verbis in libro de myſteriis Sect. 7. cap. 5. εἰ μὲν γὰρ ἦν κατὰ συνθήκην κείμενα τὰ ὀνόματα, οὐδὲν διέφερε τὰ ἕτερα τῶν ἑτέρων μεταλαμβάνειν. εἰ δὲ τῇ φύσει συνήρτηται τῶν ὄντων, τὰ μᾶλλον αὐτῇ προσεοικότα καὶ τοῖς Θεοῖς ἐστιν δήπου προσφιλέστερα. Id eſt: *Nam ſi nomina eſſent ex humano inſtituto poſita, nihil intereſſet, his an illis utereris; ſi vero rerum naturæ accommodata ſint, ſane quæ huic maxime congruunt, ea Diis ſunt maxime amica.* Id quod & viſum eſt Cratylo, Heraclito, Origeni Lib. 1. contra Celſum & aliis. Adi ſis Thomæ Gale ad ſupra adductum Jamblichi locum notas. Horum uberior refutatio apud Philoſophum περὶ ἑρμηνείας cap. 1. &

1. & 2. legi poteſt, ut & apud Julium Cæſarem Scalig. lib.3. cap.67. & 68. de cauſis Ling. Lat. Cum nomina dicuntur voluntaria, non ita id intelligendum eſt, quaſi ſit poſitum in cujusvis arbitrio, quo nomine velit, in quaque re uti. Quo modo Diodorus, ut ſcribit Simplicius in Categor. Ariſtotelis περὶ ὁμωνύμων, ſervum ſuum conjunctione hac Græca, ἀλλὰ μὴν, id eſt, *atqui* nominabat, ut illos eluderet Philoſophos, qui verba esſe naturalia magis quam arbitraria volebant. Verba Simplicii ſunt hæc: ὥς ὁ ἀλλὰ μὴν σύνδεσμος ὄνομα τῷ οἰκέτῃ ὑπὸ τοῦ Διοδώρου τοὺς τῶν γραμματικῆς διορισμοὺς διαπαίζοντος, καὶ τοὺς φύσει λέγοντας εἶναι τὰ ὀνόματα. Neque nomina natura ita ſignificant, ut geſtibus naturalibus variam pronominum ſignificationem Stoici exprimebant. Quos non modo acute ſed etiam facete refellit Galenus in libris de Decretis

Hippocratis & Platonis. Eandem ſententiam habuit P. Nigidius, Romanus eruditiſſimus, ut tradit A. Gellius lib. 10. cap. 4. At tempore Adami, ſub mundi incunabula, cum nulla adhuc exiſteret ſocietas, aſſeri non poteſt, verba illa, quibus Adamus in unaquaque re ſuo proprio nomine exprimenda uſus erat, fuiſſe ex inſtituto ſocietatis humanæ introducta, vel per inſtitutionem acquiſita. Veriſimile igitur videtur, primam lingvam in Adamo ſingulare fuiſſe Dei munus, quo Deus eum inſtruxit ac ornavit, cum rem quamvis obviam, homine nullo verba præeunte, novo nomine, & naturam ejus includente inſignire potuerit. Hinc quo Deus, more humano, periculum faceret ejus ſapientiæ, quam ipſi dederat, *cuncta animantia terræ & univerſa volatilia cœli adduxit ad eum, ut videret, quid ea vocaret*, ut legitur Geneſ. cap. 2. Commat. 19.

Quo-

Quocirca, cum nulla res prorſus in terris numen poteſtatemque divinam ſic declararit, ut ſingulare illud humani lumen ingenii, quod in primo hominum parente, ſupra modum in unaquaque re ex ſua vi ac natura certis propriis vocabulis deſignanda eluxit, ſtatuit Bochartus linguam primam in ipſa Adami creatione à Deo ei inſpiratam fuiſſe, ut patet ex his ejus verbis in Phaleg lib. 1. cap. 15. *Hæc eadem Dei virtus etiam alias emicuit, in creatione puta, cum Adamo & Evæ inſpiravit Hebrææ linguæ cognitionem primo momento, quo conditi ſunt; ut & Dei ſe compellantis ſermones intelligere, atque ipſi inter ſe poſſent mutuo alloquio frui. Similiter in Eccleſiæ naſcentis inſtauratione, quæ altera creatio fuit, idem indultum Apoſtolis atque aliis e ſanctorum choro, ut non una atque altera, ſed pluribus linguis efferrent* τὰ μεγαλεῖα ȣ̃ Θεȣ̃. His

 ad-

addatur Brianus Waltonus in Biblia Polyglotta Prolegom. 1. λ. 4.

III. Lingua prima, qua uſus eſt Adamus, & quæ communis fuit omnium Patriarcharum usque ad conſtructam turrim Babylonicam, erat Hebræa. Quod uno ore, exceptis Maronitis, aliisque, qui arbitrati eam fuiſſe Syram ſive Chaldaicam, & Hebræi & Chriſtiani teſtantur. Ex quibus unum vel alterum in gratiam Lectoris adducere lubet. Hieroſolymitanus Interpres ad Geneſin II. Commat. 1. ita ſcribit: *& omnes incolæ terræ linguæ unius erant, & ſermonis unius & conſilii unius; quippe lingua ſancta loquebantur, qua eſt creatus mundus a principio.* His gemina ad eundem locum habet Jonathan in paraphraſi. Ex Chriſtianis, præter Hieronymum in Sophoniæ cap. 3. Auguſtinum de Civitate Dei Lib. 16. cap. 11. & recentiores, quorum numerus vix re-

cenſeri poteſt. hoc docet Origenes in lib. Numer. cap. 18. Homilia II. his verbis: *Manſerit autem lingua per Adam primitus data, ut putamus Hebræa.* Idem docent non tantum etymologiæ nominum, quotquot reperiuntur in Hiſtoria Moſis a mundi creatione, usque ad diſperſionem gentium, ut jam in tanta feſtinatione prætercam, nempe characteres ceterarum lingvarum initium ſuum ducere ab Hebraicis characteribus, ac veſtigia, reliquiasque ſanctæ lingvæ, ut dudum doctis obſervatum eſt, qui hac in re operam ſuam poſuere, non tantum in orientalibus ſed & occidentalibus lingvis comparere; ſed & lingvam Hebræam omnium eſſe antiquiſſimam evincit inſignis illa atque naturam cujusque animalis intime exponens Adami *ὀνοματοθεσία*, in qua juxta Theologos ſumma relucebat ejus ſapientia. Quæ igitur lingva continet ſive habet illa nomina,

quæ naturam animalium clare exprimunt ac repræſentant, haud dubie eſt prima illa Adami, adeoque Patriarcharum lingva. Talem eſſe Hebraicam viri docti, & inter illos Bochartus in Hierozoico, liquido oſtenderunt. Cum his confer Johannis Buxtorfii Diſſertationem primam, de Lingvæ Hebrææ Origine & Antiquitate, Hermannum Hugonem in de prima ſcribendi Origine cap. 5. Andreæ Beyeri additamenta ad Cap. 2. Prolegom. Seldeni de Diis Syris, ac Heideggerum in de Hiſtoria Sacra Patriarcharum Exercitat. XVI. theſi 16. Pfeifferumque Diſſert. ſexta Philologica de Lingva primæva.

IV. Lingva Hebræa, ut & Hebræi nominati ab Hebero filio Selah: id quod firmatum it Moſes, cum Gen. 10. Commat. 21. Semum patrem omnium filiorum Heber proclamet. Quod non ſine cauſſa a Moſe dictum eſt. Quia, cum

cum Moſes Geneſ. c. 9. agens de Semi benedictione, quæ oppoſita erat maledictioni Canaanis, diceret, ut Chamus erat pater Canaan; ita Semus pater filiorum Heber, hoc voluit Hebræis ſuam originem ac benedictionem divinam ſub oculos ponere, quod tali parente oriundi eſſent, qui Canaan ſub ſuam ſervitutem redigeret. Legantur Rivetus in caput Geneſeos ſupra allatum, ac Thomas Hayme in Diſſertatione de Lingvarum Cognatione, poſition. 2. qui hæc pluribus perſequuntur. Proprium hoc nomen Heber pro gentili accipi, quod in Scriptura Sacra inſolens non eſt, conſtat ex his Bileami verbis Numer. cap. 24. Commat. 24. *Naves de Chittim, & affligent Aſſyrios, & affligent Heber*, id eſt Hebræos. Hoc nomine non omnes gentes, quæ ab Hebero originem ſuam habuere, nuncupatæ, ſed illi tantum Hebræi dicti, qui cum lingva primigenia ſimul

mul veram doctrinam ac ſanam religionem retinebant, ut legere eſt apud Auguſtinum lib. XVI. c. II. de Civitat. Dei. Ubi ita loquitur: *Nec fruſtra linguam iſtam, hoc eſt, quam tenuit Abraham, nec in omnes filios transmittere potuit, ſed in eos tantum, qui propagati per Jacob, & inſignius atque eminentius in populum Dei coaleſcentes Dei teſtamenta & ſtirpem Chriſti habere potuerunt.* Nomen ergo illud non tam gentis erat, quam profeſſionis, ut ex Auguſtino liquet, quod reliquis liberis, qui puritatem Hebrææ linguæ, & genuinam doctrinam ſusque deque habebant, haudquaquam aſſignatum ſit. Antequam turris Babylonica conderetur, erat mortalium omnium eadem lingva, ut aperte indicat Moſes Geneſi cap. II. Commat. 1. *Erat autem univerſa terra labii unius & verborum eorundem.* Quod non de ſola unitate conſilii & voluntatis,

tis, ſed etiam de unitate idiomatis eſt intelligendum, docente Heideggero in de Sacra Hiſtoria Patriarcharum Exercitat. XVI. theſ. 10. Unde verba hæc, quæ Geneſ. cap. 10. Commat. 31. leguntur: *Iſti ſint filii Sem ſecundum cognationes & linguas & regiones in gentibus ſuis*; per quandam anticipationem a Moſe prolata ſunt. Ad quod cum Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus animum non attenderet, incidit in hunc errorem, ut plures arbitraretur exſtitiſſe lingvas, antequam turris ædificaretur.

V. Cum jam ſuſcepti operis ordo monet, ut explicem, qua ex cauſſa & quo modo lingvarum confuſio a Deo in orbem hunc ſit invecta; proinde paucis ea attingere animus eſt, in quantum meo inſtituto, in hac præcipiti feſtinatione, quæ me ad inſtar rotæ pronive gurgitis circumagit, inſervire queant. Noachidæ, qui poſt illuviem illam aquarum,

quæ

quæ totum terrarum orbem obrutum tenuit, ex arca egreſſi primum in montibus Ararat, donec metus aquarum evaneſceret, conſidebant, deinde, recedentibus aquis, paulatim ad loca plana & amœniora progrediebantur, cum animus illorum ob ſuorum incrementum perſentiſceret fore aliquando, ut a ſe mutuo deducerentur: erant quippe reliquæ orbis terrarum partes frequentandæ, collecti in campum Senaar ſic ab eventu nominatum, cum Hebraice denotet campum, qui excutit, inde enim in varias regiones excuſſi & diſperſi, poſt varia conſilia hinc atque inde agitata in hoc tandem conſenſere, ut inſigni aliquo opere famam ac nomen æternum ſibi apud poſteros quærerent. Turrim igitur facere adgreſſi ſunt, quæ cœlo altitudine ſua accederet, ductu & ſvaſu haud dubie Nimrodi; qui ambitione depravatus, hac turris molitione, ſuperbiam

&

& Dei contemtum in animis illorum excitavit auxitque, ſubinde jactans non Deo, ſed viribus ſuis, ſi quid contingeret boni, acceptum ferri oportere, ut ſcribit Joſephus lib. 1. Antiquit. Judaic. cap. 5. Nec ſine cauſſa: facillime enim ad quævis iniqua pellitur, ut quisque eſt altiſſimo animo & gloriæ avido. Hinc Joſepho, ſupra memorato loco, nominatur Ἀρχηγέτης hujus ſtructuræ. Cum quo conſentit Auguſtinus de Civit. Dei lib. 16. cap. 4. dicens ideo illum a Moſe vocatum venatorem contra Dominum, quod cum ſuis populis turrem contra Dominum, qua eſt impia ejus ſignificata ſuperbia, erigere conatus ſit. Hornius lib. 2. Hiſtoriæ Philoſophicæ ſcribit Nimrodum auctorem toti humano generi exſtruendæ hujus turris ideo fuiſſe, quo ſublimi & ſtupenda ejus mole, ex alto ſtellarum motus & vias melius & accuratius contueretur, & eo facilius tyrannidem

nidem tutaretur. Quam ſententiam Samuel Reyherus in Matheſi Moſaica minime rejiciendam eſſe putat, nempe turrim illam hanc ob cauſſam, quo ſiderum ortus & occaſus commodius adnotarentur, cum antiquiſſimæ obſervationes Aſtronomicæ ſuam debeant originem Chaldæis & præcipue Babyloniis, exſtructam fuiſſe. Videatur Reyherus dicto capite. In turris ædificatione officia operantium nutu Dei præpedita ſunt. Quippe Deus diſſidia in eos immiſit, lingvis eorum variatis, ita ut ob inaſſvetum ſermonis genus ſe invicem non intelligerent. Nam voluit hanc illorum ſtoliditatem lingvarum varietate plectere, quod unitate lingvæ, quæ prius omnibus ex æquo clara fuerat, abuſi ſint. Ædificare quidem per ſe non eſt malum; ſed erigere turrim inſanæ ſubſtructionis eum in finem, ut immortale ſibi nomen apud poſteros compara-

pararent, nec eſt prudentiæ nec pietatis. Partim quia moles ædificii hujus ad pompam non ad uſum comparata ſine Deo, vel ſine ejus auſpiciis ſuſcepta eſt; partim quia deſiderium famæ & nominis ex ambitione ortum peccato non poteſt vacare. De hac re vide ſis Johannis Buxtorfii Diſſertationem ſecundam de Lingvæ Hebrææ confuſione, & plurium Lingvarum Origine, Numer. 32. Addatur Thomas Hayme in de Lingvis in genere, & de variarum Lingvarum Harmonia Diſſertat. ſecunda poſitione. Quid vero ſenſerint de turris hujus molitione ac linguarum confuſione, rerum Aſſyriarum ſcriptor Abydenus, Sibyllæ, Heſtiæus, legi poteſt apud Euſebium Præparat. Evangel. lib. 9. cap. 14. & 15. Nimrodus divino territus ſupplicio Babylonem reliquit, ac in Aſſyriam conceſſit, ibidemque Niniven ex ſuo nomine condidit. Nam a patre ſuo Chuſo

nominatus Ninus, id eſt, filius habitationis, Nimrod vero a Noacho hoc eſt rebellis. Videantur Langius de Annis Chriſti lib. 2. c. 5. Lambecius Prodrom. Hiſt. Lit. Lib. 1. cap. 4. §. 5.

VI. Quo modo lingvarum confuſio ſit introducta, ut de eo ex occaſione quædam dicam, in diverſum, qui hac de re commentati ſunt, abeunt. Quidam arbitrantur primo obliterationem priſtinæ lingvæ invectam: deinde pro gentium varietate, varios lingvarum habitus animis mortalium inditos. Alii vero ſtatuunt, quod illi homines priſtinæ lingvæ oblivione ſponte in novos diſperſosque ſermones eruperint. At hæ ſententiæ aperte Scripturæ Sacræ repugnant, quæ Deo confuſionem lingvæ attribuunt, non oblivionem vel oblivionis introductionem. Sunt, qui dicant illos omnes Hebraice locutos, at mente divinitus turbata, ob deletas ſpecies prio-

priorum ſignificationum, aliasque novas ac varias, alias aliis mentibus ac recordationibus introductas atque impreſſas, ita ut alter alterius ſermonem intelligendo non adſequeretur. Conſulatur Scaliger in exercitatione contra Cardanum 259. Sect. 1. Iſaacus Caſaubonus in Adverſariis, titulo de confuſione Lingvarum, teſte Merico Caſaubono in commentatione de quatuor Lingvis part. 1. aſſerit non tam novas rerum ſignificationes eſſe tum excogitatas, quam nova prioris lingvæ inclinamenta, ut cum Gellio loquar; ita tamen ut & nova quædam vocabula tunc ſint adinventa. Conſer Johannem Buxtorfium in Differt. 2. de Lingvæ Hebrææ confuſione; & plurium Lingvarum Origine, Numer. 25. ac Borrichium in Diſſertat. de Cauſſis diverſitatis Lingvarum, theſi quarta. Samuel Bochartus in Phaleg Lib. 1. cap. 15. dicit Deum, pro

communi illa lingva, qua utebantur, ſingulis proprium idioma inſpiraſſe, ita quidem, ut ſingulæ familiæ lingvam habuerint peculiarem: aut iis familiis eadem fuerit dialectus, ſive genus loquendi, quas in ſeqvutura diſperſione Deus ſimul habitare volebat. Acerrimus Patriæ noſtræ antiquitatum Vindex Dn. Olaus Rudbechius in inſigni ac erudito ſuo opere Atlantica cap. 3. §. 5. cenſet omnes lingvas primarias, nempe ceterarum matres ac fontes, ab ipſa confuſione exortas eſſe, dialectos vero, procedente tempore, obrepſiſſe, poſtquam homines peregrinis commerciis detineri, bellis & cladibus permiſceri, artibusque novis nova vocabula imponi cœperunt. Rationes, quibus ſuffulcitur Lumen illud orbis eruditi, inibi videri posſint. Etſi liquido in tanto ſententiarum divortio oſtendi nequit, quænam illarum ſit verior, cum modus ille, quicunqve

quæ fuerit, ſit plane arcanus ac mirabilis; id tamen firmiter juxta Moſen adfirmari poteſt, quod videlicet lingva Hebræa in familia Semitarum pura ac integra manſerit. Procul dubio ideo novo idiomatiſmo non multata, quod expers væſani conſilii iſtius manuum turri non admoverit. Apud Moſen ita ſcriptum eſt Geneſ. cap. 11. Commat. 5. *Deſcendit autem Dominus, ut videret civitatem illam & turrim, quam ædificabant filii hominum.* Per filios hominum voluit Scriptura, ut ejus mos eſt, profanos ac infideles, qui Eccleſiæ univerſim opponuntur, indigitare. Nec veriſimile eſt Noemum, quem quidam vita, antequam Babylonem perveniſſet, exceſſiſſe arbitrantur, & Semum ac primogenitum quemque in ejus familia, ad quos pertinebat fœdus, cum reliquis in exſtructione turris Babylonicæ conſpiraſſe. Unde non aliquid ponderis habet ra-

ratio Pererii, qua Lib. 16. in caput Geneſeos undecimum Diſput. 1. aſſerit univerſos homines ad condendam turrim conſenſiſſe: *Quia qui convenerunt in campum Sennaar, fuerint ii, qui erant unius labii & eorundem ſermonum. Ante turrim autem ædificatam omnes omnino homines fuiſſe labii unius.* At non eſt firma aliqua conſequentia: ſi omnes venerunt in campum Senaar. Ergo omnes communi conſilio ad ædificandam turrim animum adplicarunt. Deinde cum Moſes docet terram fuiſſe unius labii, & verborum eorundem, non affirmat omnes, qui ſermonis unius erant, conſilio exſtruendæ turris interfuiſſe. Hoc tantum deſignat hominum illorum væſania lingvarum diviſionem inductam fuiſſe, cum ad hunc diem univerſum genus humanum una eademque lingva loqueretur. Confer Auguſtinum de Civitat. Dei Lib. 16. c. 11.

&

& Bochartum in Phaleg lib. 1. cap. 15. Lingvæ ſive dialecti, quæ in diſturbatione ſive everſione turris Babylonicæ exortæ ſunt, certo aliquo numero definiri non poſſunt. Hebræi putant ortas eſſe lingvas ſeptuaginta, quia Geneſi cap. 10. in Hebraico textu ſeptuaginta gentium a Noacho per tres ipſius filios Japhetum, Semum & Chamum oriundarum principes totidem enumerantur. At Græci Latinique patres, qui verſionem ſecuti ſunt Græcam, ortas eſſe lingvas credunt ſeptuaginta duas, quoniam in ea numerus jam dictorum ſeptuaginta poſterorum Noachi duobus Kainan, altero quidem Semi, altero autem Arphaxadi filio auctus invenitur. De qua re ita ſcribit Clem. Alexandrinus lib. 1. Stromat. φασὶν δ' εἶναι καὶ τὰς ἀνωτάτω γλώσσας αἱ φυσικαὶ διαλέκτοι, δύο καὶ ἑβδομήκοντα, ὡς αἱ ἡμέτεραι παραδιδόασι γραφαί. Hoc eſt: *Dicunt au-*

*tem ex vera ratione linguæ ſeu dialecti, ut vocant, & ſermones generales eſſe ſeptuaginta duæ, ut noſtræ tradunt ſcripturæ.* Cum his conferatur Samuel Reyherus in Matheſi Moſaica, Cap.8. de Turri Babylonica, λ. 45.

VII. Hanc lingvarum confuſionem e veſtigio eſt inſecuta diſperſio gentium, cum alter alterum propter labii confuſionem velut alienigenam relinqueret. Nam ut ſermo communis ad devinciendos ſibi invicem hominum animos eſt vinculum efficaciſſimum: ita ejusdem diverſitas hominum inter homines ſocietatem & vitæ quaſi communitatem ſolvit atque dirimit. Quam gentium diſperſionem ſtatuunt quidam non ſimul ſemelque in cunctas orbis terrarum oras factam fuiſſe ſed ſucceſſive, nec tamen ſine longi temporis intercapedine, dicentes, cum terra, per centum inde a diluvio annorum ſpatium, informis ac in-

inculta, indeque partim ob graminum putredinem paluſtris effecta, partim etiam ſentibus & dumis obducta ac gurgitibus interciſa fuerit, colonos uno eodemque impetu ad remotiora loca, in quibus omnia vaſta atque ſine ullo humani cultus veſtigio erant, contendere non potuiſſe; proinde alios Babylone fuiſſe relictos, alios proxime ad Babylonem loca accedentia incoluiſſe, & ibi tantisper moratos fuiſſe, donec aucti numero ulterius progredi, ac loca longius diſſita adire cogerentur, eorum mens eſt; & ideo, quod Moſes in diebus potius, quam in ortu phalegi diviſas fuiſſe terras Geneſeos cap. 10. Commat. 25 dixerit. In diſperſione illa gentium, quæ non deliberato conſilio, ſed impetu quodam divinitus miſſo facta eſt, volunt Chamum Noæ filiorum natu minimum cum ſuis Africam & partem Aſiæ a Tauro monte usque ad oceanum Arabicum

occupaſſe, Semum, qui medius erat, cum ſuis orientalem Aſiam incoluiſſe, Japhetum, qui fuit natu maximus, cum ſuis totam Europam, cum magna Aſiæ parte, imo univerſam Scythiam inſedisſe. Videatur Hornius in Hiſtoria Philoſophica Lib. 2. cap. 1. Qui citato loco dicit, non ipſos Noachi filios in omnes orbis partes transgreſſos; ſed eorum demum poſteros, cum jam in oriente homines multiplicari cœpiſſent, colonias duxiſſe: Aſt vir ingenio maximus, Ampliſſimus Dn. Olaus Rudbechius in Atlantica cap. 3. pro inſigni ſua doctrina, aſſerit homines Babylone profectos ultima terræ loca ſtatim petiiſſe, ita quidem, ut non exiſtimandum ſit omnia omnino terræ loca e veſtigio incolis fuiſſe repleta, ſed pauca quædam hominum paria regionibus ſingulis extemplo ad terræ cultum & generis humani multiplicationem deſtinata. Quippe, ut e-

tudi-

rudite pro more ſuo docet, ſi quidam Babylone remanſiſſent, ac alii ternis vel etiam denis millibus paſſuum ab ea remoti eſſent, non a Moſe Geneſ.cap.XI. Commat. 8. & 9. diceretur, quod Dominus eos ſuper faciem univerſæ terræ diſperſerit. Quin & inter alia argumenta, dicto in Atlantica Capite, hoc idem adſtruenda, oſtendit homines ab invicem illico longius ideo remotos fuiſſe, ne in bella mutua, aucta eorum multitudine, ob avitarum poſſeſſionum relictionem, ruerent. Conſulatur Atlantica.

VIII. Antequam ad reliqua progredior, paucis jam mihi Græciæ nomina, quæ diverſa ſunt, exponenda. Γραικία, teſte Jacobo Palmerio in Græciæ Antiquæ Deſcriptione Lib. 1. cap. 2. apud Græcos auctores non reperitur. At Γραικός, quam vocem Homerus non uſurpavit, apud Græcos raro occurrit.

Cu-

Cujus vocis teſtimonium antiquiſſimum exſtat apud Ariſtotelem Meteor. lib. 1. cap. 14. his quidem verbis: ᾤκουν γὰρ οἱ Σελλοὶ ἐνταῦθα, καὶ οἱ καλούμενοι τότε μὲν Γραικοί, νῦν δ' Ἕλληνες. Id eſt: *Ibi enim habitabant Selli, & ii, qui tunc quidem Græci vocabantur, nunc vero Hellenes.* Poſt Ariſtotelem mentionem hujus vocabuli facit auctor Chronici Marmoris Arundeliani Linea XI. Καὶ Ἕλληνες ὠνομάσθησαν τὸ πρότερον Γραικοὶ καλούμενοι. Hoc eſt: *Et Hellenes nominati ſunt, qui prius Græci vocati fuerant.* Meminit & hujus vocis Lycophron in σκοτεινῷ ſuo poemate Caſſandra, cum Proteſilaum vocat Γραικῶν ἄριστον, *Græcorum optimum.* Unde vero hoc nomen fluxerit, variæ ſunt variorum ſententiæ. Quidam arbitrantur Græcos a quodam pago denominatos: quidam a Græco Rege, ut memoriæ prodit Plinius Nat. Hiſt. lib. 4. cap.

cap. 7. Quem dicunt fuiſſe Cecropis ſucceſſorem. Alii aliter. Verum de vocis hujus origine in tanta antiquitate non certi quid ſtatui poteſt. Id animadvertendum, hoc nomen in Italia manſiſſe, quamvis ab ipſa Græcia per Hellenis poſteros fuerit expulſum, ut ex Auctoribus Romanis liquet. Latini poetæ, una littera ademta, dulcioris ſoni procul dubio cauſſa, pro Græcis ſcribunt Grajos. Nominata Ἑλλὰς ab Hellene Deucalionis filio. Thucydides Lib. 1. Ἕλληνος δὲ καὶ τῶν παίδων αὐτοῦ ἐν τῇ Φθιώτιδι ἰσχυσάντων, καὶ ἐπαγομένων αὐτοὺς ἐπ' ὠφελείᾳ ἐς τὰς ἄλλας πόλεις, καθ' ἑκάστους μὲν ἤδη τῇ ὁμιλίᾳ μᾶλλον καλεῖσθαι Ἕλληνας, οὐ μέντοι πολλοῦ γε χρόνου ἠδύνατο καὶ ἅπασιν ἐκνικῆσαι. Hoc eſt: *Hellene autem ejusque liberis in phthiotide rerum potitis, & eas gentes emolumenti gratia in alias civitates adducentibus, ſingulos jam*

*maxime propter lingvæ commercium, Hellenes eſſe vocitatos. Quæ res longo tempore non potuit obtinere.* Id ipſum afferunt Strabo Lib. 8. Pauſanias in Laconicis, Conſtantinus Porphyrogenneta Lib. 2. de Thematibus Europæ, 5. themate. Hellenes primi autem juxta auctorem breviorum ſcholiorum ad Iliad. α. ver. 2. appellati ſunt Theſſali, non quidem omnes, *ἀλλὰ μόνοι οἱ ἐν Ἑλλάδι τῇ πόλει*, ſed ii ſoli, qui ab Hellade urbe erant, quæ poſita erat in Theſſalia & hoc nomine a conditore Hellene dicta. Poſtea vero cum Hellenis & ejus liberorum imperii vires in dies magis ac magis augeſcerent, ab eo omnes Hellenes denominati ſunt. Hinc vox illa de univerſis Græcis uſurpata. Ceteroquin anguſtiſſime pro urbe quadam Theſſaliæ Phthiotidis ſumitur. Aliquando minus anguſte pro parte Theſſaliæ meridionali. In quo ſenſu Homerum hanc vocem accepiſſe Iliad. ι.

*γαῖον*

ναῖον δ' ἐσχατιὴν Φθίης, Δολόπεσσιν ἀνάσσων.

*Ipſe habitabam vero extremam oram Phthiæ, Dolopibus imperans.*

Scribit Strabo Lib. 8. Cujus hæc ſunt verba: Φθίαν τε, οἱ μὲν τὴν αὐτὴν εἶναι τῇ Ἑλλάδι καὶ Ἀχαΐᾳ, ταύτας δ' εἶναι διῃρημένας τῆς συμπάσης Θετταλίας τὸ ἕτερον μέρος τὸ νότιον, οἱ δ' διαιροῦσι. Id eſt: *Phthiam quidam eandem cum Hellade ſive Græcia faciunt, & Achaja: ſcilicet partem eſſe totius Theſſaliæ auſtrinam, in duas diviſæ portiones. Alii diſtingvunt.* Dicta & Achaja ab Achæis eam incolentibus. Pauſanias in Achaicis ſive Lib. VII. Achæum vero Tricorythi filium tradunt nomen Achæis indidiſſe. Voce Achaja Homerus non uſus eſt, ſed pro tota Græcia vel majore ejus parte collective dixit Ἀχαιΐδα γαῖαν, Iliad. η.

*ὦ πόποι, ἦ μέγα πένθος Ἀχαιΐδα*
*γαῖαν ἱκάνει.*

*O Dii, certè magnus luctus Achaidem*
*terram occupat.*

In ſequentibus poſt Homerum temporibus Achajæ pars altera in Theſſalia, altera in Peloponneſo, tertia in Epiro ſita erat juxta Pindarum Nemeor. Ode VII.

Ἐὼν δ' ἐγγὺς Ἀχαιὸς οὐ μέμψεταί μ' Ἀνὴρ
Ἰονίας ὑπὲρ ἁλὸς οἰκέων.

Hoc eſt: *Exiſtens autem prope Achæus non reprehendet me vir Ionium ſupra mare habitans.* Ad quem locum Scholiaſtæ per virum Achæum intelligunt Epirotam aliquem. Polybii ætate Achaja propter optimam Reip. Achæorum formam ad totam Peloponneſum extendebatur, ut ipſe Polybius Lib. 2. commemorat. At poſtea nomen Achajæ pro tota ferme Græcia uſurpatum, cum L. Mummius, Corintho, Achajæ capite &

Græciæ decore, funditus eruta, & Republica Achæorũ diſſoluta, in provinciam univerſam propemodum Græciam redegiſſet ſub nomine Achajæ, quod ſcilicet Græci, principatum obtinentibus Achæis, ſint ſubacti. Legantur Pauſanias in Achaicis ſive Lib. 7. ac Gothofredus Orat. tertia de Achaica; ſeu de cauſis interitus Reip. Achæorum. Plinius Secundus ſub nomine Achajæ non ſolum Peloponneſum, ſed etiam Atticam comprehendit, ut patet ex his ejus verbis, quæ habentur lib. 8. Epiſt. 24. *Cogita te miſſum in provinciam Achajam, illam veram & meram Græciam, in qua primum humanitas, litteræ, etiam fruges inventæ.* Et paucis interjectis: *Athenas eſſe, quas adeas: Lacedæmonem eſſe, quam regas.* Dicta & Pelasgia ab auctore gentis Pelasgo, quem Heſiodus, ſcribente Apollodoro lib. 2. de Origine Deorum, ob ſummam antiquita-

tem *αὐτόχθονα*, indigenam vel e terra natum nominat. Hic inter alia inventa, quæ non minimam utilitatem civibus ejus attulere, dicitur Pauſaniæ in Arcadicis ſive Lib. 8. tunicas e corio ſuillo excogitaſſe. Quod & confirmat Tertullianus in Pallio ita ſcribens: *Toga oblata eſt proh! quantum circummeavit a Pelaſgis ad Lydos, a Lydis ad Romanos, ut ab humeris ſublimioris populi Carthaginem ſeſe complecteretur.*

IX. Græciam, cujus una pars potior olim in Europa, altera in Aſiæ continente ſita erat, primum Javan quartum Japheti filium incoluiſſe eſt ſententia Joſephi, ac eorum, qui illum ſeqvuntur. Cui opinioni adſtipulantur LXX. qui per Javan verterunt *Ἑλλάδα*, & pro Javanim *Ἕλληνες*. Hinc procul dubio nomen *Ἰάονες* apud Homerum in Iliad. λ. verſ. 685. occurrens, quo orientales Græci vocati ſunt, factum eſt, cùm vox hæc quaſi pro-

proxime ad Javan accedat. Valde etiam hanc rem firmat Daniel, dum cap. 8. commate 21. Alexandrum Magnum Macedoniæ Regem appellat Regem Javan; proinde Græci, qui Ioniæ auctorem faciunt Ionem, filium Xuthi, qui erat nepos Hellenis, pronepos Deucalionis, falluntur. Verum excuſari poſſunt, quia nullum noverant, propter ſacrarum literarum ignorantiam, Ionem antiquiorem.

X. Quod ad Græcas attinet literas, Græci ferme omnes fatentur ſe eas a Cadmo accepiſſe. Videantur Herodotus in Terpſichore ſive Lib. 5. Critias apud Athenæum lib. 1. cap. 22. Zenodotus, qui ita apud Laertium in Epigrammate de Zenone canit:

*Εἰ δὲ πάτρα Φοίνισσα, τίς ὁ φθό-*
*νος; ἦν καὶ ὁ Κάδμος*
*κεῖνος, ἀφ' οὗ γραπτὰν Ἑλλὰς*
*ἔχει σελίδα.*

*Si patria est Phœnix, quid tum? fuit hæc quoque Cadmo*
*Patria, qui Græcis prima elementa dedit.*

Item Plutarchus in Sympoſ. l. 9. Probl. 3. ac alii. Quod & Latini teſtantur, ut Lucan. l. 3. Tacitus Annal. II. cap. 14. Mela lib. 1. Cap. 12. Curtius lib. 4. cap. 4. Plinius Hiſtor. Natural. lib. 5. cap. 12. Item Lib. 7. cap. 66. ubi ad hunc modum loquitur: *Utique (volunt) in Græciam intuliſſe e Phœnice Cadmum (litteras) ſedecim numero. Quibus Trojano bello Palamedem adjeciſſe quatuor hac figura ΘΞΦΧ. Totidem poſt eum Simonidem Melicum ΖΗΨΩ. Quarum omnium vis in noſtris recognoſcitur. Ariſtoteles X. & VIII. priſcas fuiſſe: ΑΒΓΔΕΖΙΚΛΜΝΟΠΡΣΤΥΦ: & duas ab Epicharmo additas ΘΧ, quam a Palamede mavult.* Hoc ipſum & confirmare videntur verſus iſti, quos ſe in pervetuſto Codice legiſſe ſcribit Petrus

tius Crinitus Politiani diſcipulus diſertiſſimus Lib. 17. de honeſta diſciplina, Cap. 1. Atque præter Cornelium Agrippam, in de Vanitate ſcientiarum cap. 2. ac Lilium Gyraldum, in dialogo primo de Hiſtoria Poetarum, illos adducit etiam Voſſius Lib. 1. de Arte Grammatica, cap. 9.

*Primus Hebræus Moyſes exaravit litteras.*
*Mente Phœnices ſagaci condiderunt Atticas.*
*Quas Latini ſcriptitamus, edidit Nicoſtrata.*
*Abraham Syras, & idem repperit Chaldaicas.*
*Iſis arte non minore protulit Ægyptias.*
*Gulfila promſit Getarum, quas videmus, litteras.*

Quin etiam hæc res fabula notata, quæ fingit Cadmum ſerpentis occiſi dentes in terram ſeminaſſe, & ex hac ſemente

ſubito erupiſſe duas acies galeis & haſtis armatas, quæ in mutuam perniciem ruerint. Forſan demirari poſſit quiſpiam, quid hæc fabula faciat ad litteras; at hæc Cadmeæ ſementis interpretatio erit manifeſta, ſi inſpiciantur & numerentur ſuperni & inferni ſerpentis dentes. Tot quippe reperientur, quot litteræ in Græciam putantur a Cadmo eſſe allatæ. Quæ non ita otioſæ ſunt, ut natæ ac ordine poſitæ diffunduntur, ſeminantur, atque ita demum plures numero varieque digeſtæ vivunt, agunt, pugnant. Huic rei ſi fides non adjungatur, perpendatur, qua ſtrage ſe invicem conficiunt hodie, qui litteras profitentur, obtrectando nempe inter ſe animo, lingva, calamo, facta invicem ac inventa maligno & tumido livore delibando. Quod oſtenſum it Eraſmus Roterodamus in Dialogo de Recta Latini Græcique ſermonis pronunciatione. Quod Græci a Cadmo

mo litteras nacti ſint, hinc Herodoto in Terpſichore *Φοινικήϊα* & *Καδμήϊα γράμματα*, Phœniciæ & Cadmeæ litteræ dictæ ſunt. Nam Cadmus e Phœnicibus, qui totum orbem mercaturæ vel peregrinandi ſtudio obiverunt, erat oriundus, & quidem ex familia Cadmonæorum ſeu Hevæorum. De qua re legendus eſt Bochartus in Chanaan lib. 1. Cap. 19. Qui Phœnices, in Africa & Hiſpania Pœni quaſi Phœni ob affinitatem litterarum Π & Φ vocati, erant Chananæi, qui ab Iſraelitis ex Ægypto venientibus a Palæſtina ejecti in varias regiones ſe contulere, ac coloniis ſuis multa Africæ ac Europæ loca occuparunt. Quæ migratio nec Jugurthinæ Hiſtoriæ conditori incognita erat, cum refert Leptis Originem ad Sidonios in Jugurtha, cap. 78. his verbis: *Id oppidum a Sidoniis conditum, quos accepimus profugos ob diſcordias civiles, navibus in eos locos ve-*

*veniſſe.* Conſulatur Hornius de Origin. Gentium Americanarum Lib. 2. Cap. 3. & 4.

XI. Sed ſciendum eſt, multo ante Cadmum tempore, uſum litterarum apud Græcos receptum fuiſſe. Quod videre eſt ex his Euſtathii ad Iliad. β. verſ. 841. verbis, in quibus cauſſam adducit, ob quam Homerus Pelasgos δίους, h. e. divinos appellat: Διὸ καὶ δῖοι Πελασγοί που λέγονται), ὡς ἀνέκαθεν Ἕλληνες, οὓς καὶ μετὰ τὸν κατακλυσμὸν σῶσαι τὰ στοιχεῖα μόνους Ἑλλήνων φασί. Id eſt: *Propterea & divini Pelasgi alicubi dicuntur, utpote, qui origine Græci, quos ajunt diluvii tempore conſervaſſe litteras ſolos Græcorum.* Euſtathio aſſentitur Plinius Lib. 7. Cap. 56. ubi dicit Pelasgos in Latium litteras attuliſſe. Quare, quotquot exſtabant apud antiquos Græcos ac Latinos monumenta de rebus ante diluvium Deucalionis, ea attribu-

buenda ſunt Pelasgis, qui earum rerum memoriam litteris poſteritati tradiderunt. Quin & Diodorus Lib. 5. docet fuiſſe in Græcia litteras Cadmeis antiquiores, ubi ita loquitur: Ὕστερον δὲ παρὰ τοῖς Ἕλλησι γενομένου κατακλυσμοῦ, καὶ διὰ τὴν ἐπομβρίαν τῶν πλείστων ἀνθρώπων ἀπολομένων, ὁμοίως τούτοις καὶ τὰ διὰ τῶν γραμμάτων ὑπομνήματα συνέβη φθαρῆναι. δι' ἣν αἰτίαν οἱ Αἰγύπτιοι καιρὸν εὔθετον λαβόντες ἐξιδιοποιήσαντο τὰ περὶ τῆς ἀστρολογίας. Καὶ τῶν Ἑλλήνων διὰ τὴν ἄγνοιαν μηκετι τῶν γραμματων ἀντιποιουμένων, ενισχυσαν ὡς αὐτοὶ πρῶτοι τὴν τῶν ἄστρων εὕρεσιν ἐποιήσαντο. Ὁμοίως δὲ καὶ Ἀθηναῖοι κτίσαντες ἐν Αἰγύπτῳ πόλιν τὴν ὀνομαζομένην σάϊν, τῆς ὁμοίας ἔτυχον αγνοίας διὰ τὸν κατακλυσμόν. δι' ἃς αἰτίας πολλαῖς ὕστερον γενεαῖς Κάδμος ὁ Ἀγήνορος ἐκ τῆς Φοινίκης πρῶτος ὑπελήφθη κο-

 μίσαι

μίσαι γράμματα εἰς τὴν Ἑλλάδα. Hoc eſt: *Poſtea vero, facto apud Græcos diluvio, & propter imbres hominibus pleriſque extinctis, etiam & monumenta litterarum perdita fuiſſe. Unde Ægyptii occaſionem nacti ſibi arrogaverunt Aſtrologiam & Græcis ob ignorantiam concedentibus, ſibi vendicaverunt aſtrorum inventionem. Et ſimiliter Athenienſes, qui condiderant in Ægypto urbem nomine Saim, in ſimilem ignorantiam inciderunt ob diluvium. Et eam ob cauſam, poſt multa ſæcula, exiſtimabatur Cadmus Agenoris filius primum litteras in Græciam e Phœnicia adduxiſſe.* Maxime autem hanc ſententiam confirmant verba hæc, quæ apud Diodorum dicto loco ſeqvuntur: Καὶ ἀπ' ἐκείνου τὸ λοιπὸν οἱ Ἕλληνες ἔδοξαν ἀεί τι προσευρίσκειν περὶ τῶν γραμμάτων, κοινῆς τινος ἀγνοίας κατεχούσης τοὺς Ἕλληνας. Id eſt: *Abeo* (Cad-

(Cadmus) *in poſterum Græci uſi ſunt ſemper aliquid novi inveniſſe circa litteras, communi qua tenentur ignorantia nos occupante.* Quæ ultima Diodori verba aperte oſtendunt illum ignorantiam vocare eorum opinionem, qui arbitrabantur Cadmum uſum litterarum in Græciam inveniſſe. Dictæ vero litteræ Pelaſgicæ, poſtquam Phœniciæ in illarum locum apud Græcos receptæ ſunt, quo inter illas differentia aliqua daretur, ut patet ex his Diodori verbis Lib. 3. *κοινῇ μὲν οὖν τὰ γράμματα Φοινίκια κληθῆναι, διὰ τὸ παρὰ τοὺς Ἕλληνας ἐκ Φοινίκων μετενεχθῆναι· ἰδίᾳ δὲ τῶν Πελασγῶν πρώτων χρησαμένων τοῖς μετατεθεῖσι χαρακτῆρσι, Πελασγικὰ προσαγορευθῆναι.* Hoc eſt, prout id ad ſenſum aliorum auctorum vertit Palmerius in Græciæ Antiquæ Deſcript. lib. 1. c. 9. *Vulgo igitur litteras Phœnicias vocatas fuiſſe, eo quod ad Græcos a Phœni-*

*nicibus transportatæ fuerant, propter Pelasgos vero, qui prius utebantur Characteribus, qui immutati poſtea fuerunt, eas (priores nempe litteras) Pelaſgicas appellatas fuiſſe.*

XII. Ceterum quod Joſephus Lib. 1. contra Apionem contendat Græcos ante Homeri ætatem litteris, ac earum uſu omnino caruiſſe, ac ita nullum apud eos extare ſcriptorem Homero antiquiorem, in eo fidem non meretur. Nam Cicero eloquii Romani princeps in Bruto lane minime bruto aliter docet, ajens: *Nec dubitari debet, quin fuerint ante Homerum poetæ, quod ex eis carminibus intelligi poteſt, quæ apud illum & in Phæacum & in procorum epulis canuntur.* Nec aliter ſentit Euſebius, cum lib. 10. cap. 11. de Præparat. Evangel. dicit ſcripſiſſe apud Græcos ante Homerum, Linum, Philammonem, Thamyridem, Amphionem, Orpheum, Muſæum, Demo-

modocum, Epimenidem, Ariſtæum, & pleroſque alios. Quin & Homerus ſcripturam apud Græcos, ſuo ſæculo, in uſu fuiſſe claris verbis teſtatur, ut liquet ex verſu 170. Iliad. 2.

Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.

*Scribens in tabella plicata exitialia multa.*

Hoc etiam teſtantur ipſæ in templis Græciæ inſcriptiones, non Homero ſolum, ſed & Trojano bello antiquiores. Qualis prima eſt Amphitryonis circa ætatem Laji Cadmi pronepotis, quam apud Thebas Bœotias in Ismenii Apollinis templo litteris Cadmeis in tripode inciſam ſe vidiſſe narrat Herodotus in Terpſichore ſive Lib. 5.

Ἀμφιτρύων μ' ἀνέθηκεν, ἐὼν ἀπὸ Τηλεβοάων.

*Obtulit Amphitryon me gentis Teleboarum.*

Alte-

Altera eſt Hippocoontis, ſub Oedipode Laji filio. Tertia eſt Laodamantis, Eteoclis filii, quæ ibidem legi poſſunt. Quare ex his, quæ jam dicta ſunt, liquet diu ante Homeri ævum ſcriptionem in uſu apud Græcos fuiſſe. Cum his confer Bochartum in Chanaan Lib. 1. c. 20.

XIII. De primo litterarum inventore magnum eſt apud auctores certamen. Diodorus Lib. 1. tradit Mercurium litteras in Ægypto omnium primum reperiſſe. Quem Cicero Lib. 3. de Natura Deorum quintum Mercurium fuiſſe dicit. Verba ejus hæc ſunt: *Quintus, quem colunt Pheneatæ, qui Argum dicitur interemiſſe, ob eamque cauſſam Ægypto profugiſſe, atque Ægyptiis leges & litteras tradidiſſe. Hunc Ægyptii Theuth appellant: eodemque nomine anni primus menſis apud eos vocatur.* A quo Theuth Græci procul omni dubio habuere ſuum ζεὺς & ϑεὺς: Latini ſuum De-

Deus. Idem Diodorus in ſupra citato libro Ægyptiis, qui primi, teſte Tacito Annal. II. cap. 14. ſenſus mentis per figuras animalium effingebant, primum ſcribendi uſum adſignare videtur, cum dicit Ægyptios adſerere litteras, aſtrorum curſus, geometriam, arteſque plurimas a ſe fuiſſe inventas. Alii litteras in Ægypto inveniſſe quendam nomine Menona dicunt. Quidam, narrante Diodoro Lib. 3. volunt Æthiopes litteras primum reperiſſe, ab iisque Ægyptios eorum colonos exin illas accepiſſe, & ab his deinde reliquos populos. Eupolemus vero dicit Moſen litteras Judæis primum tradidiſſe, & a Judæis Phœnices accepiſſe, Græcos vero poſtremos a Phœnicibus. Quod & Euſebius Lib. 8. c. 1. & 10. cap. 5. de Præparat. Evangel. oſtendit. Verba Eupolemi apud Clementem Alexandrinum Lib. 1. Stromat. ſunt hæc: Εὐπόλεμος δ' ἐν τῷ περὶ τ

ἐν

ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ βασιλέων, τὸν Μωσῆν φησι πρῶτον σοφὸν γενέσθαι, καὶ γραμματικὴν πρῶτον τοῖς Ἰουδαίοις παραδοῦναι, καὶ παρὰ Ἰουδαίων Φοίνικας παραλαβεῖν, Ἕλληνας δὲ παρὰ Φοινίκων. Hoc eſt: *Eupolemus Lib. de Regibus Judææ, ait Moſem primum fuiſſe ſapientem, ac primum Judæis tradidiſſe Grammaticam, ac a Judæis accepiſſe eam Phœnices, a Phœnicibus Græcos.* Verum quod Eupolemus Moſi divino maximoque viro litterarum inventionem adſignatum eat, in eo a via decedit. Quippe niſi Iſraëlitæ litteras notas ſibi habuiſſent, cum illis æterni Numinis ſcita manu ipſius exarata, quo diſcerent, quid jus fasque aut nefas eſſet, ex monte Sinai attuliſſet, fruſtra ſcriptura legis ex monte populo propoſita eſſet. Quod dicere pietas vetat. Cum ingenii certe plus quam humani fuiſſe videtur ſonos lingvæ & vocis infinitos paucis ejusmodi

di litterarum notis circumſcribere ac terminare, veritati maxime congruum eſt præclaram hanc artem, qua ſola memoriæ fulcitur æternitas, ac ab omni oblivionis injuria res memoria dignæ vindicantur, ipſo Deo monſtrante, ab Adamo in ſuum ac liberorum ſuorum uſum eſſe inventam ac excultam. Hoc confirmat Suidas in voce Ἀδὰμ his verbis: *οὗτος οὖν ἐστιν ὁ δοκιμάσας ἕκαστα, καὶ πᾶσι κανόνας καὶ στάθμας ἀκριβεῖς, καὶ ὅρους ἀναλλοιώτους ἐναρμοσάμενος. Οὗτος τέχνας καὶ γράμματα.* Hoc eſt: *Hic igitur eſt ille, qui exploravit omnia, & omnibus regulas & amuſſes exquiſitas, & limites minime dubios aptiſſime circumſcribens aſſignavit. Hujus ſunt artes & litteræ.* His adjiciatur Bangius in Cœlo Orientis Exercitat. I. de primis litterarum Natalibus, Quæſt. 3. & 4. Res hæc eſſet clarior, ſi quam fidem mereretur Joſephi de colu-

mnis Sethitarum narratio, qua Antiquit. Judaic. Lib 1 Cap. 3. tradit liberos Sethi, quorum maxima pars cum Adamo vixit, in duabus columnis altera lateritia, altera lapidea elementa rerum cœleſtium a ſe primo obſervata conſcripſiſſe: quarum alteram lapideam ad ſuam usque ætatem in Syria duraſſe idem Joſephus ibidem aſſerit. Cum his conferatur Caſparis Schotti Technica Curioſa, Lib. 7. Cap. 7.

XIV. Poſt diluvium litteras Noachum, qui illas a majoribus erat edoctus, ad conſequentium ſæculorum uſum poſteris reliquiſſe, veriſimile eſt, cum nec ſequentibus temporibus, ubi ſemel erant receptæ, nunquam in deſvetudinem iverint. Litteras Noachi ſimul cum lingva primæva usque ad diſperſionem gentium Noachidas retinuiſſe, poſt gentium vero diſperſionem ex Chaldæa litteras Hebraicas in terram Chanaan introdu-

troduxiſſe cum alios Chaldæos, qui ex Chaldæa migrarunt, tum inprimis Abrahamum, ac in ejus familia non tantum conſervatas ut proprias, ſed etiam communicatas Cananæis ſeu Phœniciis, Phœniciis eas Græcis tradidiſſe non paucorum eſt ſententia. Conſulantur Bochartus in Chanaan Lib. 1. Cap. 20. Heideggerus de Hiſtoria Sacra Patriarcharum Exercitat. XVI. theſ. 39. Hoc vero diſcrimen putatur eſſe inter litteras Phœnicum ac Græcorum, quod Phœniciarum litterarum ſitum inverterint Græci. Quæ quidem inverſio neceſſaria erat, poſtquam dextrorſum ſcribi cœptum eſt, cum Phœnices & Ægyptii ſcripſerint ſiniſtrorſum. Quippe, ut recte oſtendit Julius Cæſar Scalig. de Cauſſis Ling. Latinæ Lib. 1. Cap. 46. *Motus manus naturalis extrorſum eſt. Quies enim intus adpectus & oculos in fœtu. Igitur primus motus extrorſum explicatur.*

*Quare pugna quoque ſic texitur, & cetera opera, extento brachio, non retracto. Præterea nobis relinquitur ſub oculis ad contemplandum, quid, quantumque deſcriptum ſit. quod illis calamo ac manu tegitur.* Cum his confer Hermannum Hugonem in de prima ſcribendi Origine Cap. 8. Ceterum antiquiſſimos Græcorum conſvetudo Hebræorum ſcribendi ſiniſtrorſum non latuit. Nam hi cum ad finem prioris verſus perveniſſent, non iterum ad principium, ſed a dextra ad ſiniſtram recurrebant, & ita deinceps eodem ordine. Quod, auctore Pauſania Lib. 5. vocarunt βεστροφηδὸν γράφειν, hoc eſt, inſtar verſuræ boum ſcribere, quia lineas ducerent, uti boves in arando ducunt ſulcos. Quam vocem Heſychius ſic exponit: ὅτως ἔλεγον, ἔπαν ὁμοίως τοῖς ἀροτριῶσι βεσὶ τὰς ἀντιστροφὰς ποιῶσιν, ἔλεγον δ' ἐπὶ τοῦ γράφειν τρόπῳ τοιούτῳ.

Hoc

Hoc eſt: *Ita appellabant, quando inſtar arantium boum verſuram quis facit. Dixere antè, quia eo modo ſcribebatur.* Ita exaratæ erant leges Solonis, quæ *ἄξονες ac κύρβεις* dicebantur, ut oſtendit Harpocration in *ὁ κάτωθεν λόγος*. De qua re conſulendi Meurſius Athen. Attic. Lib. 1. C. 8. Voſſius de Arte Grammatica Lib. 1. C. 34. Bochartus in Chanaan Lib. 1. Cap. 20. Hermannus Hugo in de prima ſcribendi Origin. Cap. 8. Baillius in Libro de Accentibus Græc. Quid vero *ἄξονες* ac *κύρβεις* fuerint, docent Scholiaſtes Apollonii Lib. 4. tmemate 24. ac Pollux Lib. 8. ut & Valeſius in ſuis notis in notas Mauſſaci ad Harpocrationem. His ſubnectatur Brodæus Lib. 4. Miſcell. cap. 12. Quod ſcribendi genus cum a Græcis ad priſcos Latinos traductum eſſet, lineæ verſus nominati ſunt, ut liqvet ex his Iſidori verbis Lib. 6. cap. 13. *Verſus vulgo vocati ſunt: quia*

 *ſic*

*ſic ſcribebant antiqui, ſicut aratur terra. A ſiniſtra enim ad dexteram primum deducebant ſtilum: deinde convertebantur ab inferiore, & rurſum ad dexteram verſus, quos & hodie Ruſtici verſus vocant.* Hoc ipſum teſtatur Marius Victorinus Lib. 1. Artis Gramm. cap. de Verſu ita loquens: *Apud nos autem verſus dictus eſt a verſuris. id eſt, a reuerſione ſcripturæ ea ex parte, in quam deſinit. Primis enim temporibus, ſicut quidam aſſerunt, ſic ſoliti erant ſcribere, ut cum a ſiniſtra parte initium facere cœpiſſent & duxiſſent ad dextram, ſequentem verſum a dextra parte inchoantes ad ſiniſtram perducerent; quem morem ferunt cuſtodire adhuc in ſuis literis* (Legliis) *ruſticos. Hoc genus ſcripturæ dicebant buſtrophedon* (leg. βουςροφηδὸν) *a boum verſatione. Unde adhuc in arando ubi deſinit ſulcus, & unde alter inchoatur, verſura proprio vocabulo nuncupatur.* XV.

XV. Dictum eſt ſuperiori paragrapho litteras a Phœniciis, prout quorundam eſt opinio, ad Græcos propagatas fuiſſe; verum ornamentum hujus ſæculi Ampliſſimus Dn. Rudbeckius, temporum præteritorum intervallis ac ætatibus cipporum ſaxeorum Runis ſculptorum e terræ ſuperficie variis poſt diluvium accrementis aucta diſtinctaque, mira ſolertia ac experimento non fallente collectis ac monſtratis, firmis adſtruit rationibus in Atlantica Cap. XXXVIII. De litterarum migratione, litteras Græcas a Runis veterum Gothorum profluxiſſe, oſtendendo Phœnicum litteras pleras que nihil aliud quam Runas inverſas eſſe, ac Phœnices illas litteras, quas ultra numerum Runis reſpondentem habent, eas ab Hebræis, vel Chaldæis accepiſſe, vel ipſos Phœnices eas excogitaſſe. Verba ejus inter alia hoc ipſum confirmantia ſupra citati capitis §. 7. ſunt hæc: *Ac*

*proinde ſedecim litteræ Græcorum a noſtris deſcenderunt, ſed auxerunt poſtmodum eas Simonides & Palamedes, donec 24. fierent. Supervenit deinde Cadmus, qui eas ordine & ſono reddidit Hebraicis ſimilimas. Tandem Græci de illarum ornatu ſolliciti ad regulam quaſi & circinum conformandas curaverunt.* Quin & hoc evincit e litteris ipſis, quæ ut noſtris Merkle / ita earum inventor Merkurzman / id eſt, Mercurius nominatur. Mercurius igitur in patria noſtra invenitur. Adeatur Atlantica dicto ſupra capite, ut & XXXII.

XVI. Ut litteræ Græcorum ſuam originem Runis veterum Gothorum debent: ita maxime incluta Græcorum oracula, e quibus non minimum antiquitatis Græcæ lingvæ documentum ſumi ſolet, ſua incunabula in patria noſtra habent; ut Dodonæum ac Delphicum. Dodonæum eorum, quæ erant in Græcia

cia, antiquiſſimum, ad Dodonem urbem Moloſſidis in Epiro ampliſſimum ſitum, ut refert Euſtathius Iliad. β. ad verſum 750 ex illo, qui τὰ ἐθνικὰ ſcripſit. Verba ejus hæc ſunt: Δωδώνη ἡ πόλις μολοσσίας ἐν Ἠπείρῳ, ὡς ὁ τῶν ἐθνικῶν καταγραφεὺς δηλοῖ, ὃς καὶ διττὰς ἱστορεῖ αὐτὰς, τὴν Θεσπρωτικὴν καὶ Θετταλικήν. Cum his confer Fragmentum Stephani Byzantini Grammatici de Dodone, & in illud Jacobi Gronovii Academicas Exercitationes. In quo, ut hoc addam, quoties reſponſa dabantur, vas æneum ad numerum, ſive caſu, ſive conſulto tinnitus edere canoros dicebatur. Unde proverbium, Ære Dodonæo loquacior. Delphicum poſitum erat ad radices Parnaſſi in rupe undique impendente ac dictum τὸ κοινὸν τῆς Ἑλλάδος ἱερὸν, ut tradit Ariſtides in Panathenaico. Donariis ac religione reliqua ita excellebat, ut ad illud non

Græci ſolum, ſed & aliæ gentes & Romani duces venerarent. Ubi ſpiritus ex infimo terræ diaboli opera dehiſcentis ſpecu editus mentes vatum in vecordiam vertebat. Oracula hæc, quæ ut apud Græcos ſummo erant cultu, ita vetuſtiſſima, a Gothis emanaſſe diſertis verbis teſtatur Herodotus Melpom. ſive Lib. 4. Πολλῷ δ' ἔτι πλεῖστα περὶ αὐτέων Δήλιοι λέγουσι, φάμενοι ἱρὰ ἐνδεδεμένα ἐν καλάμῃ πυρῶν, ἐξ ὑπερβορέων φερόμενα ἀπικνέεσθαι ἐς σκυθας. Ἀπὸ δὲ σκυθέων ἤδη δεκομένους αἰεὶ τοὺς πλησιοχώρους ἑκάστους, κομίζειν αὐτὰ τὸ πρὸς Ἑσπέρης ἑκαστάτω ἐπὶ τὸν Ἀδρίην. Ἐντεῦθεν δὴ πρὸς μεσαμβρίην προπεμπόμενα πρώτους Δωδωναίους Ἑλλήνων δέκεσθαι. ἀπὸ δὲ τούτων καταβαίνειν ἐπὶ τὸν Μηλιέα κόλπον, καὶ διαπορεύεσθαι ἐς Εὔβοιαν. Πόλιν δ' ἐς πόλιν πέμπειν, μέχει Καρύστου. Τὸ δ' ἀπὸ ταύτης, ἐκλιπεῖν Ἄνδρον. Καρυστι-

ρυσιεῖς γὰρ εἶναι τὰς κομίζοντας ἐκ Τήνου Τηνίους δ' ἐς Δῆλον. Ἀπικνέεσθαι μὲν ταῦτα τὰ ἱρὰ οὕτω λέγουσι ἐς Δῆλον. Hoc eſt: *Sed multo plurima de his Delii memorant, ſacra alligata in triticea ſtipula ex Hyperboreis delata veniſſe ad Scythas: a Scythis deinceps finitimos accepiſſe, gradatimque per ſingulos occaſum verſus longiſſime Adriam usque: atque illinc meridiem verſus dimiſſa, a primis Græcorum Dodonæis eſſe accepta, & ab his deſcendiſſe ad Melienſem ſinum, perveniſſeque in Eubœam, & oppidatim usque ad Caryſtum: ab hac vero reliquiſſe Andrum (Caryſtios enim eſſe qui in Tenum portarint) Tenios vero in Delum: atque ita hæc ſacra in Delum ajunt perveniſſe.* Huic ſententiæ ſuffragatur Cicero Lib. 3. de natura Deorum, dicens Apollinem ex Hyperboreis Delphos adveniſſe. Idem ſentit Mela Lib. 3. cap. 5. aliique innumeri.

Vi-

Videatur Atlantica celeberrimi Dn. Rudbeckii cap. XXXIV. Noſtros Apollinem coluiſſe, ac templum ejus in patria noſtra extitiſſe uno omnium teſtimonio traditum eſt. Sic Pindarus Olymp. Ode 3.

δᾶμον ὑπερβορέων πείσαις Ἀπολ-
λωνος θεράποντα.

*Populo Hyperboreorum cum perſuaſiſſet Apollinis cultori.*

Sic Poeta Phereñicus, cum ait:

Ἀμφὶ δ' ὑπερβορέων, οἵ τ' ἔσχατα
ναιέταουσι,
νηῷ ὑπ' Ἀπόλλωνος, ἀπείρητοι
πολέμοιο.

*De Hyperboreis, qui extrema incolunt,*
*Ad templum Apollinis, ignari belli.*

Quod vero Trogus ſive Juſtinus Lib. 2. cap. 12. tradat manum a Xerxe ad templum Apollinis deprædandum miſſam totam imbribus ac fulminibus fuiſſe deletam, id adnumerandum eſt ei narratio-

tioni, quâ ſimiliter apud eum Lib. 24. c. 8. dicitur Brennus grandinibus & frigore obſidione excuſſus ipſe ſibi pugione vitam finiviſſe, & exercitus ejus ita cæſus, ut nemo ex illo ad memoriam cladis ſupereſſet. Fabulas enim has ſuperſtitio excogitavit, quo oraculo huic impenſior honor, & major Majeſtatis terror adſerretur. Legantur Strabo Lib. 4. & Dion Caſſius, qui aperte adſerunt templum a Gallis ſine aliqua illorum internecione ſpoliatum fuiſſe. Quin & hoc oſtendit Gallorum in Aſiam tranſitus & victoria. Oraculum hoc tandem ſub Juliano, qui Oracula collapſa reſtaurare conatus eſt, fulmine cœlitus immiſſo e ſtirpe interiit. Quid vero ſenſerit de Oraculis Peucerus, legi poteſt in de Oraculis. Cui addatur Molinæi Vates Lib. 3. Cap. 8. Hæc poſt Chriſtum orbi redimendo natum non penitus ſiluerunt, nec ſtatim poſt mortem, ut conſtat ex Svetonio in Ti-

Tiberio Cap. 63. & in Nerone Claudio cap. 40. Verum & Plutarchi tempore nonnulla ſaltem ſuperfuiſſe, ex illo non obſcure colligitur, & poſt Plutarchum ſub Imperatoribus Antonino Pio & Marco Aurelio, aliqua minimum ſuam utcunque ſuſtinuiſſe ex Luciano in Pſeudomanti, aliiſque liquet. Summæ igitur *ἀβλεψίας* accuſatur Baronius, cum Apparat. in Annales ſuos Num. 24. dicit Oraculum Apollinis Delphici circa nativitatem Chriſti, aut aliquanto prius, ob Oraculum de Chriſto falſo dictum ab Apolline Auguſto editum fuiſſe occluſum, nec ultra uſitata reſponſa dediſſe. Videatur Caſaubonus Exercit. 1. Num. 12. Reſponſa oraculorum metris concepta Græcis a vatibus ſcite admodum atq; argute conſulentibus, qui ad oraculi ſpeluncæ ſtantes ea pugillaribus excipiebant, ſub nubilo verborum & ſenſu ambiguo ita edebantur, adeo, ut ſuis ipſi ad ſortes ſole-

referenda eſſet: & qui ea conſulunt etiam quæſita ſua Græcis litteris brevi admodum oratione proferebant. Quocirca quis eſt, qui credat Apollinis ex Oraculo Pythio eſſe reſponſum, ut finxerat Ennius,

*Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe?*

Cum Apollo Latine nunquam locutus ſit, & hæc ſors inaudita Græcis, ut perhibet is, qui non minus profeſſus eſt philoſophandi ſtudium quam eloquendi Lib. 2. de Divinat. Prima per carmina ſortes dixiſſe ac Carmen Heroicum inveniſſe putatur Phemonoe, quam Plinius Apollinis non fatidicam tantum Vatem, ſed & filiam facit, Lib. 10. Cap. 3. & 8. ut videre eſt ex Strabone Geograph. Lib. 9. ubi in deſcriptione Phocidis de Oraculo & templo Delphico agens Phemonoes ita meminit: *Φασὶ δ' εἶναι τὸ μαντεῖον, ἄντρον κοῖλον κατὰ βάθος, οὐ μάλα εὐρύστομον· ἀναφέρεσθαι δ' ἐξ*

αὐτ

αὐτοῦ πνεῦμα ἐνθουσιαστικόν· ὑπερκεῖσθαι δὲ τοῦ στομίου τρίποδα ὑψηλόν, ἐφ' ὃν τὴν Πυθίαν ἀναβαίνουσαν, δεχομένην τὸ πνεῦμα, ἀποθεσπίζειν ἔμμετρά τε καὶ ἄμετρα· ἐντείνειν δὲ καὶ ταῦτα εἰς μέτρον ποιητάς τινας ὑπουργοῦντας τῷ ἱερῷ. πρώτην δὲ Φημονόην φασὶ γενέσθαι Πυθίαν· κεκλῆσθαι δὲ καὶ τὴν προφῆτιν οὕτω, καὶ τὴν πόλιν ἀπὸ τοῦ πυθέσθαι· ἐπιτετάσθαι δὲ τὴν ἁγιστείαν συμβαλεῖν ὡς ἐπὶ τὸ ἀδαμάντινον, καὶ ἀκαμάτῳ, καὶ διακονεῖ. Hoc eſt, Guilielmo Xylandro Interprete.

*Oraculum ipſum ajunt eſſe cavum profunde ſpecum, aditu non admodum lato: ex ea ſpiritum efferri, furoris divini efficientem: ſupra orificium tripodem ſitum ſublimem, quo conſcenſo, Pythia ubi ſpiritum exceperit, carmina ſolutaque oratione fundere: ab ea pronunciata porro poetas eſſe quoſdam fani adminiſtros, qui proſa oratione edita in verſus nume-*

*numerosque redigant. Primæ Pythiæ nomen perhibetur Phemonoë: ajuntque Pythiæ & urbi nomen factum a percunctando, quod eſt πυθέσθαι, producta prima ſyllaba, quod & in aliis factitatur vocabulis.* Adi, ſi vis, Commentarium & Caſtigat. Caſauboni ad hunc locum. Idem tradit Pauſanias Lib. x. ſive in Phocicis his verbis: *μεγίςη δὲ πλείςοις ἐς Φημονόην δόξα ἐςὶν, ὡς πρόμαντις γένοιτ ἡ Φημονόη τοῦ Θεοῦ πρώτη, καὶ πρώτη τὰ ἑξάμετρα ᾖσε.* Hoc eſt: *Maxima vero fuit nominis celebritate Phemonoë, ut quæ Dei interpres prima fuerit, prima etiam hexametris Oracula decantarit.* Amplexus ἑξάμετρα reddit Senariis; cum Senariis fere Jambica deſignentur, vocem Græcam retinui: qua voce & Cicero in Oratore Perfecto uſus eſt. Hanc primam exſtitiſſe, quæ eo Carminis genere Delphis fuerit vaticinata, ſcribit & Plinius Lib. VII. Natur.



Hiſt.

Hiſt. Cap. 16. cujus hæc ſunt verba, *Verſum hexametrum Pythio Oraculo debemus.* Cum his confer Proclum in Chreſtomathia, ac Euſtathium in prooemio Comment. in Homeri Iliad. Hinc Græci carmen Hexametrum vocant Delphicum, quod Ennius longum, ut in Re Metrica Atilius Fortunatianus de Dactylico ait. De Ennio idem narrat Cicero lib. 2. de Legibus circa finem. Phemonoën Acriſio Oracula ceciniſſe, ſecundum vulgarem Græcorum traditionem refert Clemens Alexandrinus Stromat. Lib. 1. Euſebius vero paullo eam antiquiorem cenſet, cum in Canone Chronico illam ad Abantis Regis Archivorum tempora referat.

XVII. Proximum poſt Oracula antiquitatis Græcæ litteraturæ argumentum, ut vult L. Rhodomannus in Orat. de Græca Lingua, nobis ſuppeditant Oracula Sibyllarum; quæ circa primæva

Græciæ tempora poetico ſtilo ſignata, & per tot ævi ſpatia ad memoriam usque hanc noſtram propagata. Sibyllæ ut variæ erant; ita & varie numerantur. Sis vide, præter Solinum cap. 8. Ælianum V. H. Lib. 12. Cap. 35. Pauſaniam in Phocicis, Clementem Alexandrinum Stromat. Lib. 1. Lactantium de Falſa Religione Lib. 1. Cap. 6. Ludovicum Vivem ad Auguſtinum de Civitate Dei Lib. 18. cap. 23. Antiquiſſima putatur Sibylla Sambethe, quæ aliis Chaldæa aut Hebræa, aliis nominata a Saba. Ab hac, ut loquitur, Hermeas Philoſophus in Scholiis in Phædrum omnes mulieres τὸ μαντικὸν ἐλϑοῦσαι βίον dictæ fuere Sibyllæ. Libri harum apud Romanum populum in tanta erant veneratione, ut nobiliſſimos viros cuſtodes illorum creaverit omnibus civilibus muniis exemptos, ut tradit Dionyſius Halicarnaſſenſis Lib. 4. Cap. 70. De Carminum Sibyllinorum

auctoritate non omnes idem ſentiunt. Quidam Sibyllas nunquam exſtitiſſe affirmant, & carmina ipſis adſignata a Chriſtianis bono fine excogitata ajunt, quo facilius cæleſtis veritas a gentium ſapientibus admitteretur. Conſulantur Caſaubonus Exercit. 1. ad Apparatum Annalium Numer.18. Fromman. in Tractatu de Faſcinat. Lib. 3. part. 3. Sect. 2. Cap. 4. Caſparus Peucerus nomen Sibyllæ ſtatuit non eſſe perſonæ, ſed doctrinæ, dicens Sambetham nihil aliud ſignificare quam Sem, Japhet, & hinc denotare doctrinam cæleſtem a Noa inprimis Semo & Japheto, ut propagaretur, traditam. Cum his conferatur Calovius Lib. 1. Cap. 8. in Iſagoge ad S. S. Theologiam. Alii tanti Carmina illorum fecerunt, ut eis divinam auctoritatem adſignatum iverint. Unde Clemens Alexandrinus Paulum inducit Græcos ablegantem ad Libros Sibyllinos

nos his verbis Stromat. Lib. 6. λάβετε καὶ τὰς ἑλληνικὰς βίβλους, ἐπιγνῶτε Σίβυλλαν, ὡς δηλοῖ ἕνα Θεὸν, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. *Libros quoque Græcos ſumite, agnoſcite Sibyllam, quomodo unum Deum ſignificet, & ea, quæ ſunt futura.* Nonnulli mediam fovent ſententiam dicentes nec omnia in ſpeciem de Sibyllis conficta, nec omnia, quæ ſub Sibyllarum nomine edita ſunt, eſſe certa ac vera. Quæ ſententia tutior ac firmior eſt. Sibyllas fuiſſe mulieres vaticinas, & eventorum conſequentiam Carminibus, diſtinctis ætatibus, diſtinctis in locis prædixiſſe, non ſinit nos dubitare tam concors Hiſtoricorum & aliorum Scriptorum conſenſus. Adeantur Varro apud Lactantium de Falſa Religione Lib. 1. Cap. 6. Cicero Lib. 1. & 2. de Divinatione. Dionyſius Halicarnaſſenſis Lib. 1. Cap. 49. ut & Iſaacus Voſſius de Sibyllinis Oraculis. Non video

igitur, qua ratione iſti nituntur, qui rem vetuſtate robuſtam refutando volunt pervertere. Adjice Ludovicum Vivem in Comment. ad Auguſtinum Lib. 18. cap. 46. Quæ Sibyllæ futuros prædixere eventus, & quædam de Chriſto vaticinatæ, vel ex traditione majorum, quibus Oracula divina patefacta erant, vel ex converſatione cum Hebræis, vel etiam ex lectione Librorum V. T. cum ſacra volumina ante Alexandrum & Perſarum imperium in Græcam linguam licet non commode verſa fuerint, ut auctores ſunt Clemens Alexandrinus Lib. I. Stromat. & Euſebius de Præparat. Evangel. Lib. 13. C. 12. vel e dæmonis dictamine, cum illum profunda de Meſſia myſteria non latuerint. Denique nonnulla prædicere potuerunt divino adflatu extraordinario incitatæ. Ita legimus in ſacris litteris Bileamum Dæmonum cultorem vaticinatum eſſe, & Caipham divino

vino inſtinctu interdum Opportuna locutum. Non incongrue igitur, ſcribente Auguſtino Lib. 18. de Civit. Dei cap. 47. creditur fuiſſe & in aliis gentibus, quibus hoc myſterium revelatum eſt, & qui hoc etiam prædicere impulſi ſunt. Nec omnia pro Oraculis Sibyllinis admittenda, quæ hodie illorum nomine circumferuntur cum non pauca Carminibus Sibyllinis a patribus ad veritatis Chriſtianæ confirmationem ſint inſerta, ut evidenti teſtimonio ſunt perſpicua & luculenta de miraculis aliisque actibus Chriſti vaticinia. Hæc clarius fuiſſe gentibus, quam illi populo, quem Deus peculiariter ut ſuum dilexit, fuiſſe propoſita credere verbo Dei contrarium eſt. Sibylla nec Hebræa, nec Latina vox eſt, ut putat Heſychius Mileſius, ſed Græca, compoſita ex Σιὸς Laconice pro Θεὸς, & βȣλὴ, conſilium, mens, ſententia. Quocirca Sibylla juxta Lactantium de

Falſa Religione Lib. I. Cap.6. quaſi Θεοβούλη dicta eſt. Salmaſius Exercitat. Plin. ad Solinum Capit. 2. arbitratur Σίβυλλαν eſſe nomen proprium formæ diminutivæ a principali Σίβη, quod Æolicum eſt pro σιδη, quem vide. Iſidorus Lib.8. orig. Cap. 8. ſtatuit hoc nomen generale eſſe, & omni mulieri, cujus pectus numen recipit, tribui. Verba ejus ſunt hæc: *Sicut omnis vir prophetans vel vates dicitur vel propheta: ita omnis fœmina prophetans Sibylla vocatur.*

XVIII. Poſt Sibyllas Scholas eruditionis habuerunt antiqui Græcorum vates & Oraculorum interpretes. Quales erant templi Delphici & ceterorum antiſtites & Sacerdotes, ut oſtendit L. Rhodomannus in Oratione de Lingua Græca. His ſucceſſere poetæ aliique viri in Græcia docti ac clari. Inter quos maxime eminebant Linus ac diſcipulus ejus Orpheus. Linum ab Apolline, quod ſe ei

ei cantu conferret, ſagitta percuſſum fuiſſe tradit Pauſanias in Bœoticis ſive Lib. 9. In quem apud Diogenem Laërtium in procœmio hoc exſtat Epitaphium:

*ὧδε Λίνον Θηβαῖον ἐδέξατο γαῖα θανόντα,*
*μούσης οὐρανίης υἱὸν Εὐστεφάνου.*

id eſt:

*Candida purpureis redimitum tempora ſertis*
*Thebanum Uraniæ continet Urna Linum.*

Alter vero Linus, qui hoc ætate erat inferior, Iſmenii nempe filius, a diſcipulo ſuo Hercule, cum aſperius aliquando eum allocutus eſſet, tabula, in qua litteras pinxerat, in caput ejus illiſa, occiſus eſt. Orpheus Lini diſcipulus Geta erat. Nam Sithonia ad litora ponti ſita regio, quam Getæ ea tempeſtate incolebant, Orphei patria erat. Hic e patria noſtra

pleroſque myſteriorum ritus, & Sacra Liberi patris, quæ primus in monte Bœotiæ celebravit, ac totam illam inferorum fabulam, quam Homerus deinde Orphei veſtigia ſecutus ſuis verſibus inſeruit, in Græciam induxit. Adeatur Experientiſſimi Domini Olai Rudbeckii Atlantica Cap. XXII. Natura & ratione ducente, Deum verum & magnum πρωτόγονον primogenitum appellabat; quod ante ipſum nihil ſit genitum, ſed ab ipſo ſint cuncta generata. Eundem etiam Φάνητα nominabat; quod cum adhuc nihil eſſet, primus ex infinito apparuerit & exſtiterit, ut tradit Lactantius lib. 1. cap 5. Confer Euſebium Præparat. Evangel. Lib. 3. Cap. 9. item Lib. 13. Cap. 12. & 13. Qui, cum Græcos rupium incolas & incultis moribus rudes ac ſaxi inſtar nullo affectu mobiles dicendo & orationis ſuavitate ad obſequii civilis pellexerit diſciplinam, dicitur

ventos

ventos celeres, ſilvas, rapidos fluminum lapſus cantu ſuo loco moviſſe. Conſulantur Macrobius in Somnium Scipionis Lib.2.cap.3. Heurnius Lib.2. Barbaricæ Philoſophiæ Antiquitatum, Cap. 26. Patet ergo ex his Orpheum Getam Græcos diſciplina inſtruxiſſe, ac muſicam docuiſſe, cui majores noſtri valde addicti erant. E quamplurimis hoc ipſum teſtantibus adferre placet Pindarum, qui Pythior. Ode X. ita canit:

μοῖσα δ' οὐκ ἀποδαμεῖ
τρόποις ἐπὶ σφετέροισι.
παν-
τᾷ δὲ χοροὶ παρθένων,
λυρᾶν τε βοαὶ, καναχαί τ' αὐλῶν
δονέονται.
δάφνᾳ τε χρυσέᾳ κό-
μας ἀναδήσοντες, εἰλαπινάζουσιν εὐφρόνως.
Νόσοι δ', οὔτε γῆρας οὐλόμενον
κέκραται ἱερᾷ γενεᾷ. Πό-

νων

νων

δὲ καὶ μαχᾶν ἄτερ.

Id eſt: *Muſa autem non abeſt a moribus ipſorum: ſed circumquaque chori virginum, lyrarumque clamores, & ſtrepitus tibiarum volvuntur: lauroque aurea comas redimientes epulantur hilariter. Nec autem morbi, nec ſenectus perniciosa permixta ſunt ſacræ genti, ſed absque laboribus & pugnis.* Hinc ita ſcribit ſeu potius refert Franciſcus Philelphus Conviv. Lib. 2. *Exſtat autem apud eos in hanc usque tempeſtatem magnificum Apollinis templum figura orbiculari. Incolæ vero ſtudent plerique omnes Cithariſticæ maxime, conveniuntque frequentisſime in templum pro quodam vetere inſtituto canentes ad Citharam Apollinis laudes.* Carmina Orphei, in quibus ſumma brevitas quæſita eſt, ut oſtendunt fragmenta eorum, Cicero quidem lib. 1.

de

de Natura Deorum ex Ariſtotele narrat fuiſſe Cercopis Pythagorici, Clemens Alexandrinus Lib. 1. Stromat. tradit eſſe Onomacriti Athenienſis; verum major & potior nobis videri debet veterum Philoſophorum, Hiſtoricorum & Poetarum auctoritas, qui mentionem Orphei faciunt. Adeantur Nathan Chytræus in Caſpium Parmenſem, Lambecius Prodrom. Hiſt. Lit. lib. 2. cap. 4. Sheringhamus de Anglorum Gentis Origine Diſcept. 17. Quibus addatur Voigtius de Sacroſancta unius Divinitatis Triade cap. 2. themat. 2. Medendi arte quoque clarus erat Orpheus, cum primus de Medicina apud Græcos ſcripſerit, ut memoriæ proditum eſt a Plinio Lib. Hiſt. Natur. 25. Cap. 2. his verbis: *Primus autem omnium, quos memoria novit, Orpheus de herbis curioſius aliqua prodidit. Poſt eum Muſæus & Heſiodus polion herbam in quantum mirati*

*ti ſunt, diximus. Orpheus & Heſiodus ſuffitiones commendavere.* Ipſum triginta circiter vel quadraginta ante bellum Trojanum annis floruiſſe certe conſtat, cum Herculi Thebano σύγχρονος, atque unus ex Argonautis fuerit. Sub idem tempus vixere Muſæus Orphei æmulus, Eumolpus Geta Cereris myſtes, Chiron & Æſculapius medici apud Græcos nobiliſſimi, Phœnix dicendi facultate ac civili ſcientia clarus, qui Achilli juveni a patre Peleo comes ad bellum datus eſt, ut illum, narrante Homero in Iliad. I. efficeret μύθων τ' ῥητῆρ' ἔμμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων. Pithæus Throezeniorum princeps, philoſophus & poeta doctiſſimus. De quo legatur Pauſanias in Corinthiacis ſive lib. 2. item Palamedes inter duces Græcorum, qui Trojam oppugnatum ivere, doctiſſimus, qui dolo Ulyxis, ut ſcribit Hyginus fabula 95. & 105. quod inſaniam ejus,

jus, cum delectum militum per Græciam ageret, detexerit, a Græcis ſaxis obrutus eſt. Hos ſubſecuti Demodocus Corcyræus & Phemius Smyrnenſis, Homeri vitricus & præceptor.

XIX. Inſequenti tempore floruit Heſiodus, Poeta molliſſima carminum dulcedine memorabilis, otii quietisque amantiſſimus. Hic, ne patria aut parentes ejus, ut Homeri, de qua re mox dicetur, ignorarentur, illos ad poſteros prodidit; ſed patriam, quia multatus ab ea erat, contumelioſiſſime, ut hi ejus in Ἔργ. καὶ ἡμέρ. verſus teſtantur:

Νάσσατο δ' ἄγχ' Ἑλικῶνος Ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ
Ἄσκρῃ, χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέ ποτ' ἐσθλῇ.

*Habitavit autem prope Heliconem miſero in vico*
*Aſcra, hieme malo, æſtate autem moleſto, nunquam bono.*

Parentes

Parentes enim ejus ære alieno oppreſſi, cum id diſſolvere non poſſent, Cuma in Aſcram Bœotiæ vicum prope Heliconem demigrarunt, ubi puer Heſiodus educatus atque inde Aſcræus cognominatus. In quo pago Muſarum erat ſacerdos. Credidit vetuſtas a Muſis ipſis calamos Heſiodo ad ſcribendum ſuum poema, cum in monte Parnaſſo oves paſceret, datos fuiſſe. Poema ejus, quæ Ἔργα inſcribuntur, plumbeis tabulis in monte Helicone inſcriptum ſe vidiſſe in Bœoticis, ſive lib. 9. tradit Pauſanias. cujus hæc ſunt verba: Καί μοι μόλιβδον, loquitur de Bœotiis, qui circa Heliconem domicilia habebant, ἐδείκνυσαν, ἔνθα ἡ πηγὴ, τὰ πολλὰ ὑπὸ τοῦ χρόνου λελυμασμένα. γέγραπται δ' αὐτῷ τὰ ἔργα. Hoc eſt: *Quin & plumbeam mihi tabulam offenderunt juxta fontem poſitam, ſed vetuſtate magna ex parte vitiatam. In ea ſcriptum eſt carmen*

*men illud ipſum, quæ Opera inſcribuntur.* Fabulæ, quæ nomine Æſopi maxime celebrantur, docente Quinctiliano Inſtit. Orator. Lib. 5. cap. II. videntur ſuam originem ab Heſiodo accepiſſe. Cum his conferatur Lilius Gyraldus in de Poetarum Hiſtoria, Dialogo II. Hac eademque ætate clariſſimum Homeri illuxit ingenium ſine exemplo maximum. Nec immerito: etenim in verbis, ſententiis, figuris humani ingenii excedit modum, adeo ut magni ſit viri, virtutes ejus non æmulatione (quod fieri non poteſt) ſed intellectu ſequi, ut ait Quinctilianus Inſtitut. Orator. Lib. 10. cap. 1. Quamobrem Alexander felicem Achillem prædicabat, quod ſuarum virtutum præconem Homerum inveniſſet, ut ſcribit Cicero pro Archia poeta. Cujus poema idem tanti feciſſe narratur, ut non tantum ſcrinium ungventorum, quod inter ſpolia Darii Perſarum

Regis ceperat auro gemmisque ac margaritis valde pretioſum, cuſtodia librorum Homeri digniſſimum cenſuerit, dicens, pretioſiſſimum humani animi opus quam maxime divite opere ſervari debere; ſed etiam cum quieſceret, Iliada una cum pugione ſub cervicali ſemper repoſitam habuerit, illam τῆς πολεμικῆς ἀρετῆς ἐφόδιον, virtutis bellicæ viaticum & credens & appellans, ut produnt Plinius Lib. 7. C. 29. Plutarchus in Vita Alexandri. Sed præconia ejus quid cumulem? Nemo certe tam conſentienti judicio Sapientum omnis ævi laudatus eſt: & id ab iis maxime, qui ipſi laudatiſſimi. Huic, ob tam expreſſa virtutum in cœleſti ſuo opere ſimulacra atque exempla, ob tam multa ad bene beateque vivendum adminicula, omnes inſignes Philoſophi ſe totos addixere. Plato eum quamvis ab illa, quam conſtituit, civitate ejecerit, non quod omnis

ἀκο-

*ἀκολασίας καὶ δυσεβείας*, licentiæ atque impietatis magiſter eſſet, ut arbitratur Theod. contra Græcos Sermon. 2. Sed ut indoctum vulgus, quod exteriorem tantum fabularum corticem reſpiciens ad utilitatem ſub hiſce ſymbolis latentem penetrare non poterat, ab ejus lectione arceret: attamen cælo eum digniſſimum, ob admirabiles ejus virtutes oſtendit, ut videre eſt ex Proclo, in eo capite *εἰς τὴν πολιτείαν*, in quo, *ὅτι παιταχοῦ τὸν Ὅμηρον ὡς ἡγεμόνα πάσης ἀληθείας ὁ Πλάτων εἴωθε γεραίρειν*, docet. Unde eruditis, Poëtas ut legerent, ſuo præivit exemplo, cum illos in ſcriptis ſuis, & quoad dicendi genus naturæque myſteria ibi latentia imitatus ſit. Ut vero pacifice ex ea urbe, quam ſibi ipſe finxit, educeretur, eum unguentis delibutum ac lana coronatum, ut tradunt Dionyſius Halicarnaſſ. in Epiſt. ad Cn. Pompejum de Platone,

tone, Maximus Tyrius diſſertat. 7. emiſit. Erant enim olea & lana argumentum pacis. Adeatur Paſchalius de Coronis Lib. 5. Cap 51. Ptolomæus Philadelphus, Rex ille ſtudiorum laude celeberrimus, narrante Angelo Politiano in Oratione in expoſitione Homeri, tantus Homeri propugnator fuit, ut Zoilum Amphipolitanum cognomento Homeromaſtiga, quod Homeri ſe caſtigatorem profiteri foret auſus, deluſum prius aliquamdiu, extremo tandem ſupplicio excruciatum necaverit. Quem maximis ingenii dotibus inſtructum atque ornatum ſi quis cæcum arbitretur, omnibus ſenſibus orbus eſt. Quippe tanta rerum omnium notitia in toto opere manifeſta, rerum oculis uſurpatarum veſtigia oſtendens non poteſt ei convenire, qui cæcus natus eſt. Figmentum iſtud congenitæ cæcitatis forſan inde ortum, quod Homerus cupiditates, qui-

bus

bus prima in animum per oculos via eſt, virtute ac continentia comprimens omnem vitæ ſuæ curſum in labore corporis atque in animi contentione conſecerit, haud ignarus voluptates, quibus nullum cum virtute commercium, mentem a ſua ſede & ſtatu dimovere. Id quod confirmat Heſychius Mileſius in Libr. de iis, qui eruditionis fama claruerunt, his verbis: Ὅμηρος ἱστορεῖται γενέσθαι τυφλὸς, ὡς μὴ ἡττηθεὶς ἐπιθυμίας, ἢ διὰ ὀφθαλμῶν ἔρχεται. *Homerus. Hunc tradunt Hiſtoriæ oculis captum fuiſſe, quod cupiditati & libidini, quæ per oculos irrepit, non ceſſerit victus.* Adde Bœclerum in Annotatis ad Vellejum Lib. 1. Cap. 5. Brodæus Lib. 5. Cap. 9. Miſcell. putat eum, quod veritati maxime congruum eſt, ſive morbo, ſive ſenio in hoc incidiſſe infortunium. Legatur quoque hac de re Leo Allatius de Patria Homeri Cap. 8. De Patria ejus maxime diſſenſum eſt.

*Colophonii civem eſſe dicunt ſuum; Chii ſuum vendicant; Salaminii repetunt; Smyrnæi vero ſuum eſſe confirmant; itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt*, ut tradit Cicero pro Archia. Varro apud Aulum Gellium Lib. 3. Cap. 11. tres adjicit:

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου,
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφὼν, Σαλαμὶς, Χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι.

*Septem urbes certant de ſtirpe inſignis Homeri,*
*Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ.*

Quæ civitates procul dubio erant, quas juxta Simulacrum Homeri eum, ut ſuum civem ſibi adſerentes Ptolomæus Philopator in templo a ſe ei exſtructo poſuit. Athenienſes vero illum ſibi asſignabant, non quod Athenienſis eſſet, ſed propter Smyrnam ab Athenienſibus con-

conditam, ut patet ex Libr. 4. Anth. εἰς εἰκόν. Πεισιςρά.

Ἡμέτερος γὰρ ἐκεῖνος ὁ χρύσεος ἦν πολιήτης,
Εἴπερ Ἀθηναῖοι Σμύρναν ἀπῳκίσαμεν.

*Hunc fama eximium noſtræ genuere Minervæ,*
*Nam genitrix Smyrnæi Attica terra viri.*

Communis quidem ferme eſt ſententia, illum Smyrnæum fuiſſe, cum a Melete fluvio Smyrnam præterlabente Meleſigenes appellatus ſit, & delubrum in oppido ei dedicatum, ut ſupra a Cicerone oſtenſum eſt. Quod & teſtatur recentior quidam nummus, in quo Homeri effigies ac nomen cuſum, cujus in averſa parte Meletis fluminis imago dextra lyram tenens expreſſa eſt. Videatur Antonius Auguſtinus de Veterum Numiſmatum antiquitate Dialog. 3. qui eſt de

provinciis, urbibus & fluminibus Num. 27. Confer Herodotum in Vita Homeri, Pauſaniam in Achaicis ſive Libr. 7. Solinum Cap. 53. Voſſium Inſtitut. Orat. Lib. 1. Cap. 5. Sect. 14. Verum enimvero, cum Leo Allatius de Patria Homeri Cap. 13. 14. 15. doctorum ſcriptorum teſtimoniis ſubnixus eum dicit fuiſſe Chium, juſtius eſt ejus ſententiæ accedere. Quod autem Calaſiris apud Heliodorum Æthiop. Libr. 3. dicat Homerum, quod notam ſive characterem indicem actus illegitimi, quo natus, in femoribus ſignatum referret, ideo nec patriam, nec genus ſuum nominare voluiſſe, id falſum plenumque erroris eſt. In eo certe, quod patriam ac parentes reticuerit, ſumma ipſius animi altitudo ac rerum humanarum deſpicientia fulget, cum nulla ſollicitaretur ambitione, nullo gloriæ ſtudio vexaretur, nulla honoris ſiti teneretur, quorum vehementiori amore

more multi præcipites ivere. Sunt, qui dicant, Homerum Heſiodum ætate longe præceſſiſſe, ut Porphyrius apud Suidam, Solinus cap. 53. Vellejus Paterculus Libr. 1. Cap. 7. Joſephus Libr. 1. contra Apionem, dicens παρὰ τοῖς Ἕλλησιν οὐδὲν ὁμολογούμενον εὑρίσκεσθαι γράμμα τῆς Ὁμήρου ποιήσεως πρεσβύτερον. *Apud Græcos nullum inveniri ſcriptum, de quo conſtet, quod ſit Homeri carminibus antiquius;* aſt Marmora Arundeliana in Epochis Græcorum teſtantur, Heſiodum annis plus minus 30. Homero antiquiorem fuiſſe; atque hinc liquet, illos aliquo tempore eodem vixiſſe. Quod ex Epigrammate quodam in tripode, qui in monte Helicone ab Heſiodo poſitus dicitur, inſcripto Marcus Varro apud Aulum Gellium Lib. 3. cap. 11. comprobare nititur. Non neſcius, quoſdam putare, Epigramma hoc ab Heſiodi dilectoribus & admira-

toribus eſſe confictum, qui palmam & coronam illi contra Homerum dare volebant. Epigramma tale eſt:

*Ἡσίοδος μούσαις Ἑλικωνίσι τόνδ' ἀνέθηκε,*
*Ὕμνῳ νικήσας ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον.*
*Heſiodus poſuit Muſis Heliconibus iſtum,*
*Cum cantu vicit divinum in Chalcide Homerum.*

Hos eximios poëtas Virgilius in ſuo opere imitatus eſt, in Georgicis Heſiodum, & quod ad tempeſtatis ſerenitatisque ſigna attinet, Arati Phœnomena, in Æneide Homerum, ut in Bucolicis Theocritum. Nec parva ſunt alia, quæ ſumſit a Græcis & carmini ſuo tanquam illic nata inſeruit. Conſulatur Macrobius Libr. 5. Saturnal. cap. 2.

XX. Poſt Heſiodum ac Homerum Homero non multo junior floruit Lycur-

curgus Lacedæmonius ſeveriſſimarum ac juſtiſſimarum legum auctor. *Non inventione earum magis, quam exemplo clarior: ſiquidem nihil lege ulla in alios ſanxit, cujus non ipſe primus in ſe documenta daret*, ut loquitur Juſtinus Libr. 3. C. 2. ſub imperio ejus, quo tutelam fratris filii nomine Charilli adminiſtrabat, Lacedæmonii tantum ceteris antecellebant, ut e Græcis ſoli terræ ac maris imperium adipiſcerentur. Cujus meminit Strabo Lib. 8. Sub Ageſilao leges ſuas promulgavit: in quibus quædam Minois placita ſecutus eſt. Nam in Cretam dicitur navigaſſe, quo inſtituta ac leges Minois noſceret. Legibus Lycurgi, quæ maximam partem ad rem militarem comparatæ erant, quamdiu Sparta obtemperabat, excelſisſime floruit. Hic ex Ionia, cum ibi peregrinaretur, univerſam Homeri Poeſin in Græciam retulit. Quam poſtea Piſiſtratus in

in unum colligens Iliadem & Odyſſeam confecit, ut infra dicetur. Legantur Heraclides περὶ πολιτειῶν, Plutarchus in Lycurgo, Ælianus V. H. Libr. 13. c. 14. Inſequenti tempore claruerunt Draco Athenienſis ac Epimenides Cretenſis. Draco leges, quibus Athenienſes uterentur, primus omnium tuliſſe dicitur. Quæ cum impendio acerbiores viderentur, leviſſimis enim cauſſis mortis pœnam inferebant, tacito Athenienſium conſenſu abolitæ ſunt. Adeatur Gellius Lib. 11. Cap. 18. putabat quippe, omnia peccata eſſe paria ſive æqualia: turpi nihil turpius; honeſto nihil honeſtius: quæ poſtea erat Stoicorum doctrina. Videantur Diogenes Laertius in Vita Zenonis, ac Lipſius Manuduct. ad Stoicam Philoſophiam Lib. 3. Cap. 21. Unde omnia peccata, quæcunque fuerint, ſupplicio capitis punienda eſſe cenſuit. Quare Demades, quod apud Plutarchum in So-

Solone traditur, dixiſſe fertur, Draconem non atramento ſcripſiſſe leges Lacedæmoniorum, ſed ſanguine. Cujus leges tam ſeveræ etiam diſciplinæ erant, ut anima carentia, ſi quid forte eorum corruens hominem peremiſſet, urbe agroque ejicienda ſanxerit: Id quod legi poteſt apud Pauſaniam in Eliacis, ac Pollucem Libr. 8. Capit. 10. Epimenides, quem Apulejus Florid. Lib. 2. inclutum & fatiloquum poëtam nominat, cum *θεοφιλέστατος* haberetur, Athenienſes illum, quum peſte aliquando laborarent, reſponſo a Pythia accepto, urbem luſtrari oportere, a Creta Athenas acciverunt; qui cum eo veniſſet, peſtilentiam hoc modo avertebat: Oves nigras & albas in Areopagum duxit: illinc eas, quo vellent, ire permiſit; illis, qui ſequebantur, mandans, ut ubi quæque recubuiſſet, ibi mactaretur *τῷ προσήκοντι Θεῷ*, Deo, cui conveniret, ſive loci proprio.

prio. Atque ita luem illam quieviſſe dicunt. Ὅθεν ἔτι καὶ νῦν ἐςὶν ἑυρεῖν κτ̀ τοὺς δήμους τῶν Ἀθηναίων βωμοὺς ἀνωνύμους, ὑπόμνημα τ̃ τότε γενομένης ἐξιλάσεως. Hoc eſt: *Unde etiam nunc aræ per Athenienſium pagos ſine nomine inſcripto inveniuntur, memoriam ejusdem placationis ferentes*, ut refert Laertius in vita Epimenidis. Hinc illa ara Θεῷ ἀγνώςῳ, in quam Athenis incidit Paulus. Cujus mentio fit in Actis Apoſtolorum Cap. 17. Commat. 23. Adeatur Boiſius in hunc locum. Hic Epimenides is eſt, quem Paulus ex Cretenſium ſententia ἴδιον illorum προφήτην appellat, hoc hexametrum ex eo adducens:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦςαι, κακὰ θηρία, γαςέρες ἀργαί.

*Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.*

Paulus enim πρός τε οἰκοδομὴν καὶ

προς

πρὸς ἐντροπήν τινων, ut ait Clemens Alexandrinus Lib. 1. Stromat. h. e. *ad ædificationem & converſionem aliquorum*, non erubuit uti Græcis poematibus. Itaque non ſolum hexametro Epimenidis uſus, ſed etiam hemiſtichio hoc ex Phœnomenis Arati: Τῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν — — quod habetur Act. 17. Commat. 28. ut & Senario Jambico ex Menandro, 1. Corinth. Cap. 15. Commat. 33. Φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαί.

XXI. Poſt hos, qui in Græcia ingenio & doctrina excellebant, veniunt ſeptem illi σοφοί. De quorum nominibus docti inter ſe non conveniunt. In Protagora a Platone & in Phocicis ſive Lib. 10. a Pauſania, qui Platonem ſecutus eſt, hunc in modum recenſentur: Θαλῆς ὁ Μιλήσιος, καὶ Πιττακὸς ὁ Μιτυληναῖος, καὶ Βίας ὁ Πριηνεὺς, καὶ Σόλων ὁ ἡμέτερος, καὶ Κλεόβουλος ὁ Λίνδιος, καὶ

καὶ Μύσων ὁ Χηνεύς. Καὶ ἕβδομος ἐν τούτοις ἐλέγετο Λακεδαιμόνιος Χίλων. Οὗτοι πάντες, ζηλωταὶ καὶ ἐρασταὶ καὶ μαθηταὶ ἦσαν τῆς Λακεδαιμονίων παιδείας. Καὶ καταμάθοι ἄν τις αὐτῶν τὴν σοφίαν τοιαύτην οὖσαν, ῥήματα βραχέα ἀξιομνημόνευτα ἑκάστῳ εἰρημένα. Οὗτοι καὶ κοινῇ ξυνελθόντες ἀπαρχὴν τῆς σοφίας ἀνέθεσαν τῷ Ἀπόλλωνι εἰς τὸν νεὸν τὸν ἐν Δελφοῖς, γράψαντες ταῦτα ἃ δὴ, πάντες ὑμνοῦσι, Γνῶθι Σαυτόν· καὶ Μηδὲν Ἄγαν. Τοῦ δὴ ἕνεκα ταῦτα λέγω, ὅτι οὗτος ὁ τρόπος ἦν τῶν παλαιῶν τῆς φιλοσοφίας, βραχυλογία τις Λακωνική. Hoc eſt, interpretante Joanne Serrano: *Thales Mileſius & Pittacus Mitylenæus & Bias Prienenſis & noſter Solon & Cleobulus Lindius & Myſo Chenenſis: inter illos autem ſeptimus Chilo Lacedæmonius annumeratur. Hi omnes, æmuli, ſtudioſi, & quaſi amatores fuerunt Lacedæmo-*

*dæmoniæ eruditionis, in cujus etiam diſciplinam ſeſe tradiderunt: Illiusque hujusmodi rationem extitiſſe perſpicuum eſt cuilibet, ex brevibus illis dictis, & illuſtri memoria dignis, quæ illorum nominibus circumferuntur. Hi quum communiter conveniſſent, communi ſententia ſuæ illius ſapientiæ primitias Apollini conſecrarunt, quæ templo Delphico inſcriptæ omnium vocibus celebrantur, Noſce Teipſum: Et, Ne quid Nimis. Hæc nimirum hac de cauſſa dico, quoniam antiqua fuit illa philoſophandi ratio, ut magna ſermonis brevitate uterentur.* Qui primi omnium, referente Lactantio Lib. 4. Cap. 1. ſapientes habiti ac appellati, quia de rebus naturalibus quærere ac diſputare auſi. Addatur Euſebius Lib. 10. Præparat. Evangel. cap. 4. σοφὸς ſive σοφιςὴς, ut de eo obiter aliquid dicam, circa initium non erat certæ alicu-

jus virtutis facultatisve nomen, ſed ita commune, ut omnibus, qui ſcientia quapiam in re quacunque inſtructi erant, tribueretur, ut ex his Clementis Alexandrini Lib. 1. Stromat. verbis conſtat: καὶ αὐτοὶ τοὺς περὶ ὅλων πολυπράγμονας, σοφοὺς ἅμα καὶ σοφιστὰς παρωνύμως κεκλήκασι. Id eſt: *Et ipſi ſcilicet Græci eos quoque, qui in re aliqua curioſe verſantur, ſapientes ſimul & ſophiſtas denominative appellarunt.* Confer Platonem in Apologia Socratis ac Ariſtotelem Lib. 6. cap. 7. ad Nicomach. Peculiare autem Muſicorum nomen erat, quod Græci ſummam eruditionem in nervorum vocumque cantibus ſitam eſſe cenſerent. Legatur Athenæus Deipnoſoph. Lib. 14. cap. 8. Hinc & poëtæ σοφοὶ dicti ſunt. Nam Muſici qui erant, quondam iidem poëtæ. Adi Ciceronem Lib. 3. de Orat. & Diogenem

Laër-

Laërtium in Procemio. Quin & σοφοὶ vocati, qui condendarum legum gubernandarumque civitatum rationem tenebant: Aſt Ariſtoteles Lib. & Cap. ſupra adductis rectius arbitratur illos nominari ſapientes, qui in rebus divinis, & in iis, quæ naturæ obſcuritate involuta latent, contemplandis occupati ſunt. Qualis erat Thales, qui, teſte Cicerone Lib. 3. de Oratore, civitati ſuæ, ut reliqui, non præfuit, vir cæteris ſapientibus ingenii magnitudine ac ſublimitate longe præſtantior. Quippe multa præclara & miranda, cum in aliis diſciplinis, tum in Aſtrologia primus excogitavit. Quæ legi poſſunt partim apud Ciceronem Lib. 1. de Divinat. partim apud Diogenem Laërtium Lib. 1. in Thalete, Apulejum Floridorum Lib. 4. ac Muretum Variar. Lect. Lib. 12. cap. 12.

XXII. Soloni viro inſignis juſtitiæ

poſt Thaletem ſecundæ debentur. Etenim præter leges (quas tam præclaras, tamque utiles Athenienſibus, cum prætor illorum eſſet, tulit, ut ſi illis perpetuo uti voluiſſent, ſempiternum habuiſſent imperium) & alia multa egregia, quibus Reip. Athenienſium non minime profuit; & hoc memorabile eſt, quod Homeri Carmina, quæ in certas partes diſtributa, ſub diverſis titulis, ut ſcribit Ælianus V. H. Lib. 13. cap. 14. a veteribus paſſim canebantur ἐξ ὑποβολῆς, ordine, & ad poëtæ mentem diſpoſuerit & ῥαψωδεῖσθαι, conſui ſive concinnari juſſerit, Οἷον ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον, ita ut ubi pars prima deſierat, inde proxima inciperet, quo eſſet verſuum ſenſuumque conſequentia, ut tradit Diogenes in Solonis vita hunc locum ita concludens: μᾶλλον οὖν Σόλων Ὅμηρον ἐφώτισεν ἢ

Πει-

Πεισίςρατ۞, ὡς φησι Διευχίδας. Hoc eſt: *Solon itaque magis illuſtravit Homerum, quam Piſiſtratus, ut ait Dieuchides.* Nam Piſiſtratus, quo nemo illo tempore doctior ac litteris inſtructior erat, referentibus Cicerone Lib.3. de Oratore ac Æliano ſupra citato loco, Homeri libros confuſos in Iliadem & Odyſſeam digeſſit. Diviſio vero Iliadis & Odyſſeæ in ordinem ac numerum Græcarum litterarum recentior eſt. Hanc enim veteres non uſurpaſſe liquet ex Ariſtotele de poëtica cap. 24. Quocirca Plutarchus in Homero & Euſtathius in Iliad. *α*. tradunt eam fuiſſe ab Ariſtarcho inventam, Conſulatur Woweriius in de Polymathia cap. 18. Dicitur quidem Hipparchus Piſiſtrati filius natu maximus, vir ſummus in maximarum rerum ſcientia Homeri poëmata Athenas invexiſſe. Quod videre eſt apud Platonem

in Hipparcho & Ælianum V. H. Lib. 8. cap. 2. qui Platonem ſequutus eſt. At Hipparchus Carmina Homeri Athenas non induxiſſe videtur, cum ex ſupra dictis conſtet Piſiſtratum Hipparchi patrem ea Athenis habuiſſe; proinde Platonis ac Æliani mens hæc eſſe poteſt: Hipparchum, cum antea illa penes ſe tantum haberet, in quibus ipſe ac fratres ejus erudiebantur, quo ad Remp. gerendam paratiores accederent, primum juris publici feciſſe, ac juſſiſſe, ut publice a Rhapſodis alternatim in Panathenaicis feſtivitatibus decantarentur, quo univerſi cives virtutis præceptis inſtituerentur. Vide Ælianum dicto ſuperius loco & celeberrimæ memoriæ Schefferi ad hunc locum notas. His adjiciatur Leo Allatius de Patria Homeri, Cap. 5. Alterum hunc cantandi morem Rhapſodi diu ſervarunt. Quam conſvetudinem ab Hip-

par-

parcho Athenis inſtitutam Syracuſas attulit Cinæthus Chius, ut liquet ex his Scholiaſtæ verbis ad Pindar. Nemeor. Od. 2. Ὁ χίναιθος χῖος ἐν Συρακούσαις ἐῤῥαφώδησε τὰ Ὁμήρου ἔπη κατὰ τὴν ἑξηκοστὴν ἐννάτην Ὀλυμπίαδα, ὡς Ἱπποστρατός φησιν. Hoc eſt: *Cinæthus Chius apud Syracuſanos vel Syracuſis Homeri Carmina cecinit Olympiade LXIX, ut refert Hippoſtratus.* Qui mos apud omnes ferme Græcorum urbes obtinuit. Nam priſca Græcorum ſapientia Muſicæ erat addictiſſima. Qua ex cauſſa Homerus, quod univerſam ſuam poëſin certis numeris, atque modis cecinerit, non dubitavit verſus multos facere ἀκεφάλους, λαγαροὺς καὶ μειούρους. h. e. Abſque capite, ſubinanes, & ad extremum curvatos. Legantur Athenæus Deipnoſoph. Lib. 14. Cap. 8. Macrobius Saturnal. Lib. 5. Cap. 14. Alexander

Scotus in de Syllabarum Quantitate. Arbitrantur quidam, ut hoc adjiciam, antequam ad alia digredior, Homeri Carmina ideo *ῥαψῳδίαν* dicta, quod ea ſparſa ac divulſa in duo corpora Iliadem ac Ulyſſeam Piſiſtratus, ut dictum eſt, compoſuerit, verum cum ante Piſiſtrati tempora nomen illud exſtiterit, ut ex hoc Heſiodi carmine colligere eſt, qum ait:

*Ἐν Δήλῳ τότε πρῶτος ἐγὼ καὶ Ὅμηρος ἀοιδοὶ*
*μέλπομεν, ἐν γεαροῖς ὕμνοις ῥάψαντες ἀοιδήν.*

Proinde primus ejus inventor non eſt. Et eſt *ῥαψῳδεῖν* nihil aliud, quam verſus commentari. Hinc poëtæ quivis *ῥαψῳδοὶ* nominati. Poſtea dici cœperunt illi *ῥαψῳδοὶ*, qui poëſin Homeri per partes diſperſam certa junctura in unum redigebant illam in publicis conventibus canturi. Sic dicti ob excellen-

cellentiam poëtæ, propterea quod ejus carmina aliis præferrentur, & frequentius recitarentur ab iis, qui ſunt Ὁμηρίδαι appellati, quod ex ejus familia illius cantum, ut quidam rentur, tanquam heredes circumferrent. Videatur Scaliger Lib. 1. poëtices cap. 41. Qui quum prodirent cum ſcipionibus rubris, qui Iliadem canebant, ſignum illud cædium & cruoris. Croceis, qui Ulyſſeam recitabant: quod tali colore exules notarentur. Inde nominati ῥαβδοῦροι, ῥαβδωροὶ & ῥαβδῳδοί. Quam ob cauſſam Menæchmus errat, cum eos appellari στιχῳδοὺς dixerit, eo quod στίχοι quibusdam ῥάβδοι dicantur. Quin & ῥαψῳδῶν nomine veniunt, qui ex toto Homeri opere hinc inde verſus colligebant ſuo inſtituto inſerendos ſive aptandos.

XXII. Horum ſucceſſores erant Poëtæ Lyrici, qui eodem fere tempore

florebant, utpote Steſichorus, Bacchylides, Ibycus, Anacreon, Pindarus, Simonides, Alcman, Alcæus. Lyrici dicti, quod ſuas ᾠδὰς & μέλη ac μολπὰς cantu atque lyra pronunciaverint. Quorum longe princeps Pindarus & mira facundiæ vi, & uberrima ſententiarūm figurarumque copia. Legatur Fabius Quinctilianus Inſtit. Orat. Lib. 10. c. 1. Unde Athenæo Deipnoſoph. Lib. 13. cap. 2. nominatur μεγαλοφωνότατος, id eſt, ſublimis & omnium poëtarum maxime grandiloquus. Cujus futura eloquentia ac ſpiritus magnificentia in adoleſcentia proviſa eſt. Nam apes, cum Theſpias proficiſcens meridiano per æſtatem calore feſſus juxta viam ſomnum caperet, ad labia favos ei adfinxerunt, ut ſcriptum reliquit Pauſanias in Bœoticis. Talem gratiam ab Athenienſibus inivit, ut illi, cum propter hæc verba,

αἴτε

αἵτε λιπαρὰι καὶ ἀοίδιμοι ἐλλάδος ἔρεισμ' Ἀθᾶναι. Hoc eſt: *Græciæ columen ac fulcimentum ſplendidæ ac inclutæ Athenæ*, a Thebanis, qui ea tempeſtate Athenienſibus erant infenſi, mille drachmis multatus eſſet, quod alienis potius, quam ſuis tantum laudis dediſſet, certiores hujus rei facti non tantum illum, ea pecunia miſſa, liberarint, ſed & ante regiam porticum æneam ſtatuam ei erexerint, ſedentis figura cum pallio, & diademate lyram tenentis, librumque apertum ſuper genua: Id quod ſcribunt Pauſanias in Atticis ac Muretus Variar. Lect. Lib. 4. cap. 1. Non vivo tantum ſed etiam mortuo maximi honores habiti ſunt. Etenim cum Lacedæmonii Thebas cum tota Bœotia depopularentur atque diriperent, ſolis Pindari ædibus pepercerunt, cum hoc carmen foribus earum adſcriptum eſſet: Πινδάρε τοῦ μου-

*μȣσοποιȣ̃ τὰν σέϱαν μὴ καίετε.* Hoc eſt: *Domum poëtæ Pindari ne exurite.* Idem Alexander feciſſe dicitur, qui, Thebis captis ac funditus everſis, ſolam Pindari domum intactam & integram conſiſtere paſſus eſt, ut narrant Plinius Hiſt. Natural. Lib. 7. cap. 29. Ælianus V. H. Lib. 13. cap. 7. Hunc carmine quidem fertur Corinna cognomento Muſa Lyrica viciſſe: verum, cum ſub ipſa contentione in imperitos inciderit auditores, hoc nihil quidquam de laude ejus derogare poteſt. Qua de re vide Ælianum Lib. 13. cap. 25. & Pauſaniam in Bœoticis. Quin & ipſa Corinna contrarium teſtatur, ut liquet ex his ejus verbis, quæ reperiuntur apud Apollonium Dyſcolum in libello de Pronominibus MS. ut tradit Colomeſius c. 11. in *κειμηλίοις* Literariis. *μέμφομαι Ἴωνγα τὰν λιγȣϱὰν μυϱτίδα, ὅτι βάνα φȣ̃σα ἔβα πινδάϱοιο ποτ' ἔϱιν.*

ειν. βάνα vel βάννα apud Bœotios dicitur mulier. Heſychius βάνα γυνὴ ὑπὸ βοιωτῶν. Pindarus in carmine componendo ac pulſanda lyra, præter Laſum Hermionenſem ac mulierem Myrtidem, habuit etiam præceptorem Simonidem Ceum, qui eo tempore primas inter Lyricos obtinuit. Cujus præcipua in cienda commiſeratione virtus, ut quidam eum hac in parte omnibus ejusdem operis auctoribus præferre non dubitent. Unde Horatius Carm. Lib. 2. Ode 1.

*Sed ne relictis Muſa procax iocis*
*Cea retractes munera næniæ.*

Ubi nænia cea denotat cantum lugubrem Simonideum. Conſulantur Voſſius in de Poëtis Græcis cap. 4. ac Fulvius Urſinus in notis ad Simonidis carmina. Hunc octoginta annos natum & docuiſſe carmina, & in illorum certamen deſcendiſſe refert Valerius Ma-

Maximus Lib. 8. cap. 7. Qui primus artem memoriæ protuliſſe ſeu oſtendiſſe dicitur. Legantur Cicero de Orator. Lib. 2. Quinctilianus Lib. 11. cap. 2. Steſichorus Palinodiæ fertur eſſe inventor: qui cum Helenam famoſis carminibus inſectaretur, ſcribens illam cum Paride Trojam adnavigaſſe, amisſis iccirco oculorum luminibus, ſententiam in contrarium vertebat, editis pro congeſtis probris laudibus. Hinc oculorum uſus, ut dicitur, ei reſtitutus eſt. Græce enim παλινῳδία ſignificat recantationem. Alcmana ajunt primum amatorias cantiones excogitaſſe. Unde princeps ἐρωτικῶν μελέων dictus. In quo carminum genere plurima fuit Sappho. Anacreon vero ita excelluit, ut ejus dictio quovis Indicæ arundinis ſucco Julio Cæſari Scaligero, viro ſine exceptione litteratiſſimo, omnisque antiquitatis, humanita-

nitatis doctrinæque litterarum ſcientiſſimo viſa ſit, ut ipſemet Lib. 1. Poëtices cap. 44 ſcribit. Inter hos Lyricos nec poſtremus eſt Arion Methymnæus, cum primus chorum inſtituerit, dithyrambum cecinerit & Satyros verſibus loquentes induxerit, ut produnt Hellanicus in Cranaicis & Dicæarchus ἐν τῷ περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων. Dithyrambus vero erat Chorus in orbem actus ad laudem honoremq; Bacchi: à quo nomen accepit, ἤτοι διὰ τὸ κατὰ τὴν Νύσαν ἐπ' ἄντρῳ διθυράμβῳ τραφῆναι τὸν Διόνυσον· ἢ διὰ τὸ λυθέντων τῶν ῥαμμάτων τοῦ Διὸς, εὑρεθῆναι αὐτόν· ἢ διότι δὶς δοκεῖ γενέσθαι, ἅπαξ ἐκ τῆς Σεμέλης, καὶ δεύτερον ἐκ τοῦ μηροῦ. Id eſt: *Vel quod apud Niſan in antro dithyrambo, hoc eſt, bifori, ſit educatus: vel quod apertis ſuturis Jovis repertus ſit: vel quod bis genitus videatur, ſemel ex Semele iterum-*

*rumque ex femore*, ut prodit Proclus in Chreſtomathia Poëtica. Adde, ſi ita placet, Athenæum Deipnoſoph. Lib. 14. Cap. 6. ac Scaligerum Poëtices Lib. 1. Cap. 46. De Arione hoc, quod memorabile eſt, ſcribitur, ut apud Herodotum Lib. 1. Aulum Gellium Lib. 16. Cap. 19. Lucianum Tomo 1. Marino Dialogo quarto, quod cum a Sicilia Corinthum ad Regem Periandrum, a quo artis gratia multum amabatur, redire vellet, a nautis Corinthiis, quos ut notiores amicioresque ſibi delegerat, ob ingentem pecuniarum vim artis ſuæ præſtantia collectam in mare præceps deſilire coactus ſit, ſed a Delphino quodam Tænarum in terram Laconicam incolumis devectus.

XXIV. Hac eadem ætate, quod magnopere admirandum videtur, Græcia præſtantiſſimorum ingeniorum ſtudiorumque parens novem illuſtres

poë-

poëtrias Muſas ipſas numero æquantes extulit; quarum hæc ſunt nomina: Sappho, Myrtis, Praxilla, Erinna, Corinna, Noſſis, Myrus, Teleſilla, Anyta, ut liquet ex his Antipatri in novem illas poëtrias verſibus:

Τάσδε θεογλώσσοις Ἑλικὼν ἔθρε-
ψε γυναῖκας
ὕμνοις, καὶ μακεδὼν Πιερίας
σκόπελος,
Πρήξιλλαν, μυρὼ, Ἀνύτης στόμα,
θῆλυν ὅμηρον,
λεσβιάδων σαπφὼ κόσμον Εὐ-
πλοκάμων,
Ἤρινναν, Τελέσιλλαν ἀγακλέα;
καί σε Κόριννα
θοῦριν Ἀθηναίης ἀσπίδα μελψα-
μέναν,
Νοσσίδα θηλύγλωσσον, ἰδὲ γλυ-
κυακέα μύρτιν,
πᾶσας ἀεννάων ἐργατίδας σε-
λίδων.

*Ἐννέα μὲν μούσας μέγας οὐρανὸς,*
*ἐννέα δ' αὐλὰς,*
*γαῖα τέκε θνατοῖς ἄφθιτον ἀ-*
*φροσυνάν.*

De Teleſilla apud Plutarchum in de virtutibus Mulierum ſcribitur, eam ad periculum vitæ graviſſima valetudine vexatam Deorum auxilium imploraſſe: reſponſum eſt ita demum bonam valetudinem reſtitutum iri, ſi Muſas in complexu ac oculis haberet. Ad quas cum animum ſedula opera appuliſſet, morbo liberatam fuiſſe. Nec tantum ſanitatem, verum etiam robur ac imperatorium animum nactam. Ex quo manifeſtum eſt Muſas arma ipſa non ſolum canere, ſed etiam parare. Qua vero cauſſa factum ſit, ut ex omnibus Lyricis Græcis, Pindaro excepto, parva quædam fragmenta tantum reliqua ſint, oſtendit Johannes Medices poſtea Leo X. his apud Alcyonium, referente

Co-

Colomeſio κειμηλ. Literar. cap. 15, in Libro de Exilio verbis: *Audiebam puer ex Demetrio Chalcondyla Græcarum rerum peritiſſimo, Sacerdotes Græcos tanta floruiſſe auctoritate apud Cæſares Byzantinos, ut integra, illorum gratia, complura de veteribus Græcis poemata combuſſerint, inprimisque ea, ubi amores, turpes luſus & nequitiæ amantum continebantur, atque ita Menandri, Diphili, Apollodori, Philemonis, Alexis fabellas, & Sapphus, Erinnæ, Anacreontis, Mimnermi, Bionis, Alcmanis, Alcæi carmina intercidiſſe: tum pro his ſubſtituta Nazianzeni noſtri poëmata, quæ etſi excitant animos noſtrorum hominum ad flagrantiorem religionis cultum, non tamen verborum Atticorum proprietatem & Græcæ linguæ elegantiam edocent. Turpiter quidem Sacerdotes iſti in veteres Græcos malevoli fue-*

*runt, ſed integritatis, probitatis & religionis maximum dedere teſtimonium.*

XXV. Hoc temporis ſpatio, ingenio inſignes erant tres illi Tragœdiæ principes, non multorum annorum ſpatio diviſi, Æſchylus, Sophocles, Euripides. Æſchylus Euphorionis filius tragœdias primus in lucem Athenis protulit. Juſſus enim in quiete, teſtante Pauſania in Atticis a Baccho tragœdias componere, ſcenam perſonarum varietate & decore inſtruxit. Poëta non ſolum ſublimis & gravis, ſed etiam rudis in plerisque & inconditus. Quocirca, cum ille honos ei a populo Athenienſi ſit tributus, ut unius ex omnibus Tragicis, fabulæ, ipſo etiam mortuo, decreto publico, docerentur, Sophocles & Euripides in ſcenam pleraque Æſchyli limata & tanquam emendata deferebant. Unde contra Euripidem

pidem apud Ariſtophanem in Ranis act. 3. ſcena 2. gloriatur, quod poëſis ſecum non interierit, quemadmodum cum Euripide: verba ejus ſunt:

*Ὅτι ποίησις οὐχὶ συντέθνηκέ μοι,*
*τούτῳ δὲ συντέθνηκεν, ὥσθ' ἕξει λέ-*
*γειν.*

*Qvoniam ars poëtica mecum haud*
*eſt emortua,*
*Cum hoc una mortua, ſicut ipſe fa-*
*tebitur.*

Æſchylus non tantum poëſi, verum etiam virtute bellica inclaruit, quum in pugna illa memorabili Marathonia, cum fratribus Cynægiro & Amynia, quorum fortitudinem in conſectandis hoſtibus Græcia omnium ſæculorum memoriæ litterarum præconio inculcat, ſummis viribus atque impigris decertarit. Qvo certus poſteritatis cum futura hujus rei gloria viveret, carmen de hac pugna edidit, in cujus Operis

fronte ſuum & patriæ nomen inſcripſit, Marathonium ſaltum & Perſas, qui illuc deſcenderunt, ſuæ virtutis teſtes citans. Vide ſis Pauſaniam in Atticis ſive libro primo. Hunc tradit Calliſthenes apud Lucianum in Encomio Demoſth. tragœdias inter pocula ſcripſiſſe, cum vino incaluiſſet. Hinc & Sophocles, ut latine verſum eſt, dixit: Vinum, non ipſum eſſe illius auctorem Tragœdiarum. De Alcæo ac Ariſtophane idem memoriæ traditum eſt. Nec Alcman illa calumnia immunis erat. Adeatur Scaliger Poëtices Lib. 1. cap. 2. Sophocles Sophili filius, qui μέλιττα Ἀττικὴ ob incredibilem carminis ſvavitatem cognominatus, quaſi apes, quæ ſcripſit, complere floribus & innectere viſæ, longe Æſchylum ſtili gravitate & ſublimitate pari jucunditate & comitate condita ſuperavit. Quantum ibi humanitatis! quam arguta!

guta! quam recta! quam terſa omnia! Qui Tragicorum Homerus Polemoni dictus, quod illa Homerici ſenis mel ei eum imitanti profluxerit. Sub ipſum ad mortem tranſitum, fabulam Oedipodis Colonei, qua ſola, teſte Valerio Maximo Lib. 8. cap. 7. omnium ejusdem ſtudii poëtarum præripere gloriam potuit, ſcripſit. Hac enim recitata, ſententiis judicum a filiorum accuſatione, quod propter ſtudium rem familiarem negligere videretur (Græco more male rem gerentibus patribus bonis interdicebatur) liberatus eſt. De qua re legendi ſunt Cicero de Senectute, & Lucianus in Macrobiis. In tantum a Libero patre amatus eſt, ut is in quiete Lyſandrum ducem Lacedæmoniorum, qui ea tempeſtate, qua Sophocles vita exceſſit, in Atticam irrupere, hortatus ſit corpus ejus ſepulturæ omni honore reddere, illum delicias ſuas

ob ſingularem orationis ejus ſuavitatem appellans, ut teſtantur Plinius Hiſt. Nat. Lib. 7. cap. 29. Pauſanias in Atticis. Idem indicat Meurſius in Paralipom. ad Librum de Populis Atticæ c. 4. ex Anonymo quodam in vita Sophoclis. Euripides, cujus mater agreſtium olerum venditione victum quæſiviſſe dicitur, tragœdiam ſcribere adortus eſt, teſtante Gellio Lib. 15. cap. 20. cum annos natus eſſet duodeviginti. In quo omnia ſunt argutiora, quam in ceteris, philoſophicisque & acute inventis ſententiis, ut jure optimo Cicero Epiſt. 8. ad Tironem Libertum Lib. 16. ad Famil. ſingulos ejus verſus ſingula teſtimonia putarit. Quo reſpexit Fabius Quinctilianus, dum ita Inſtit. Orator. Lib. 10. cap. 1. loquitur: ſententiis denſus, & in iis, quæ a ſapientibus tradita ſunt, pæne ipſis par, & in dicendo ac reſpondendo cuilibet eorum, qui

fue-

fuerunt in foro diſerti, comparandus. Quod in affectibus, inprimis in iis, qui miſeratione conſtant, facile fuerit præcipuus, ideo Ariſtoteles eum in Arte poëtica poëtarum τραγικώτατον nominat. Cujus doctor in Phyſicis Anaxagoras Clazomenius, cum capitis arceſſeretur, quod ſolem μύδρον διάπυρον, id eſt, laminam candentem ac penitus ignitam dixerit, ſe ab illo ad Socratem in Academiam, quo ipſius in moralibus informatione uteretur, contulit. Videatur Diogenes Laertius Lib. 2. in vita Anaxagoræ ac Socratis. Narrat Plutarchus in Nicia poëma ejus tantæ fuiſſe exiſtimationis, ut Athenienſes, ducibus Demoſthene ac Nicia, in Sicilia capti, qui ᾄσματα ſive μέλη illius recitare ſcirent, hoc quaſi redemtionis pretio liberati fuerint. Quin & iidem Siculi tunc tandem Cauniis, cum ab illis interrogati faterentur ſe Euripi-

dis verſus noſſe, navigium ſuum, quod a navibus prædatoriis premebatur, litori ſuo adplicare ſive admovere permittebant. Adeatur Plutarchus in fine Niciæ. Quo honore Macedones illum poſt obitum dignati ſint, legi poteſt Gellius Lib. 15. cap. 20. Medeam hujus Ciceronem in lectica, qua geſtabatur, cum caput ei juſſu Antonii a Popillio Lænate (quem ipſe parricidii reum a manifeſta morte patrocinio ſuo eripuerat) præcideretur, legiſſe refert Ptolomæus Hephæſtion Lib. 5. Variæ Hiſtoriæ, in Photii Bibliotheca. Nobilis hic tragicus poëta Euripides cum Sophocle, juxta ea tempora, ut ſcribit Aulus Gellius Lib. 17. cap. 21. tragœdias, quibus apud fluvium Cremeram ſex & trecenti patricii Fabii cum familiis ſuis univerſi ab hoſtibus circumventi perierunt, & decemviri legibus ſcribundis Romæ creati, & univerſa

Græ-

Græcia in bellum inteſtinum inſtincta, illuſtravit. Eadem ferme ætate claruit Ariſtophanes, Comicus Atticæ linguæ elegantia ac gratia maxime commendabilis; qui primus dicitur veterem Comœdiam rudem adhuc & diſperſam collegiſſe, eamque in meliorem ac utiliorem formam non ſine cultu ac nitore traduxiſſe. Nam, cum pro conſvetudine comœdiæ veteris, in qua omnia argumenta erant ſalſa, mordacia, maledica, ac in illa res veræ & geſtæ, veræque perſonæ non ſine famæ illarum intertrimento in theatrum inducebantur, in Comœdia, quæ Νεφέλαι inſcribitur, Socratem Philoſophiæ parentem, non impulſu Anyti & Meliti, quo in illum magnum odium apud Athenienſes ſatis natura ad optimis quibusque detrectandum proclives concitarent, ut vult Ælianus V. H. Lib. 2. cap. 13. quem ſequuntur Eunapius

pius in Ædeſio,ac Thomas Magiſter in hujus fabulæ argumento; ſed ob philoſophorum cum Comicis poëtis contentiones & diſſidia, ut docet Scholiaſtes in protheoria huic fabulæ præmiſſa,fœde conviciis laceraſſet, lege ab Alcibiade ſancita, ne quis aliquem nominatim in fabula probris inſectaretur, hanc cavillandi profuſam licentiam in ultimis ſuis Comœdiis, juſta moderatione adhibita plurimum mitigavit. Hunc Plato, quod ingenio & facundia præcelleret, tanti feciſſe narratur, ut Dionyſio Regi Syracuſanô lingvam & ſtatum Reip. Athenienſis ex auctore, qui electius loqueretur, perdiſcere deſideranti Ariſtophanem miſerit, illumque hortatus fuerit, ut fabulas hujus poëtæ diligenter evolveret, ſi quidem perfecte, qui ſtatus Reipublicæ apud Athenienſes eſſet, ſcire averet. Nicodemus Friſchlinus in vita Ariſtophanis refert

fert de Joanne Chryſoſtomo, cui eloquentia, pietate parem alium nulla poſt ætas protulit, quod ſuæ facundiæ & vehementiæ in reprehendendis ac carpendis mulierum vitiis non minimam partem ex continua Ariſtophanis lectione hauſerit, & libros hujus auctoris, cum quieti ſe traderet, pulvillo ſubdere ſolitus ſit.

XXVI. Ariſtophanes novæ Comœdiæ viam Menandro aperuit, qui omnibus ejusdem operis auctoribus abſtulit nomen, & fulgore quodam ſuæ claritatis tenebras obduxit. Nam hic judicio Quinctil. Inſt. Orat. Lib. 10. c. 1. diligenter lectus ad cuncta effingenda cum ob ſummam in eo inveniendi copiam, tum ob non minorem eloquendi facultatem ſufficit. Hinc, cum omnem vitæ imaginem in comœdiis ſuis, quas centum & quinque, auctore Apollodoro apud Aulum Gellium Lib. 17. c. 4. ſcripſit, expreſſerit, omnibus rebus,

per-

perſonis, affectibus accommodatus, Reges Ægypti & Macedoniæ, teſte Plinio Hiſt. Natural. Lib. 7. cap. 30. claſſe per legatos petitum miſerunt, ut conſortio ejus fruerentur. Qui Thrax & Geta erat, quamvis Græci qvidam, ut Suidas, & alii dicant eum Athenienſem fuiſſe, indignum arbitrantes Græcos a gentibus, quas barbaras nominabant, litterarum notitia vinci ut de ſe ipſo ſcribit apud Strabonem Geograph. Lib. 7.

*Πάντες μὲν οἱ Θράκες, μάλιστα δ' οἱ Γέται*
*ἡμεῖς ἁπάντων (καὶ γὰρ αὐτὸς ἔυχομαι*
*ἐκεῖθεν εἶναι τὸ γένος) οὐ σφοδρ' ἐγκρατεῖς*
*εσμέν.*

*Omnes enim Thraces, Getæ ſed maxime,*
*Nos omnium (nam inde glorior genus*
*Me-*

*Meum eſſe) continemus a mulieribus*

*Nos non ſatis.*

In quantum hunc Ariſtophani prætulerit Plutarchus, legi poteſt apud eum Comparationis Ariſtophanis & Menandri breviarium. Huic ut ambitu, gratiaque & factionibus Philemon ſæpe prælatus eſt; ita conſenſu omnium meruit credi ſecundus. De quo apud Apulejum Floridorum Lib. 3. ſcribitur, quod, cum, comœdiæ ejus recitatione imbri impedita ac in propinquum diem prolata, ad diem condictum non veniret, miſſi ſint quidam a præſtantioribus illorum, qui magna frequentia convenere reliquam Comœdiæ partem audituri, qui rogarent, ut jam adeſſet: qui, quum eum in ſuo lectulo mortuum offenderent, renunciaverunt Philemonem poëtam, qui exſpectaretur, qui in theatro fictum argumen-

mentum finiret, jam domi veram fabulam conſummaſſe. Enimvero jam dixiſſe rebus humanis valere & plaudere: ſuis vero familiaribus dolere & plangere. Ariſtophanem ut & Menandrum ac Philemonem novæ Comœdiæ principes in compoſitione Comœdiæ jucundæ pariter ac gratæ Poëtæ Latini Cæcilius, Nævius, Licinius, Plautus atque Terentius ſectati ſunt. Verum illi, ſi Quinctiliano Inſt. Orat. Lib. 10. cap. 1. credendum ſit, vix levem Græcorum umbram conſecuti ſunt, quod ſermo Romanus non videatur poſſe recipere illam dicendi Venerem ſolis Atticis in hoc lingvæ genere conceſſam, cum eam ne Græci quidem in alio genere lingvæ obtinuerint. Qui plura de veteri, media & nova Comœdia ſcire avet, adeat Jonſium de Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ Lib. 1. cap. 5.

XXVII. Comœdia ut prius a Græcis

cis inventa; ita Tragœdia ab iisdem prius expolita. Illam primus in omnium notitiam protulit Suſarion, hanc Theſpis, ambo Icarienſes: poſtea Æſchylus ſecutus exemplum publicavit. De quibus Horatius in arte Poëtica ita canit:

*Ignotum Tragicæ genus inveniſſe Camœnæ*
*Dicitur, & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis,*
*Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus Ora.*
*Poſt hunc perſonæ pallæque repertor honeſtæ*
*Æſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis,*
*Et, docuit magnumque loqui nitique Cothurno.*

Nec aliter Diogenes Laërtius, cujus hæc ſunt verba in Platone: Τὸ παλαιὸν ἐν τῇ τραγῳδίᾳ πρότερον μὲν

*μόνος ὁ χορὸς διεδραμάτιζεν, ὕστερον δὲ Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξεῦρεν ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορὸν, καὶ δεύτερον Αἰσχύλος, τὸν δὲ τρίτον Σοφοκλῆς, καὶ συνεπλήρωσαν τὴν τραγωδίαν. Olim Tragœdiam prius quidem chorus ſolus agebat, poſtmodum vero Theſpis unum invenit hiſtrionem, ut chorus interdum requieſceret, ſecundum poſtea Æſchylus adjecit, & tertium Sophocles, atque in hunc modum Tragœdia conſummata eſt.* His adde Plutarchum in Solone. Comœdiam una tantum perſona ab initio actam fuiſſe facile ex fragmento Suſarionis apud Stobæum Serm. 67. colligere eſt. Fragmentum hoc fuiſſe traditur:

*Ἀκούετε λεώς, Σουσαρίων λέγει τάδε·*
*κακὸν γυναῖκες· ἀλλ' ὅμως ὦ δημόται,*

οὐκ

οὐκ ἔστιν οἰκεῖν οἰκίαν ἄνευ κακοῦ.
καὶ γὰρ τὸ γῆμαι, καὶ τὸ μὴ γῆμαι
κακόν.

*Audite populus, Suſarion hæc dicit:*
*Malum ſunt mulieres; ſed tamen ô*
*populares,*
*Non eſt domum invenire ſine malo.*
*Uxorem enim ducere & non ducere,*
*malum.*

Comœdia, quæ primum nihil aliud erat, quam agreſtis cantio, quod in pagis ſive vicis uſitata, dicta eſt ἀπὸ τῶν κωμῶν. Tragœdiæ vero nomen ἀπὸ τοῦ τράγου, vel quod hirco vinearum hoſte donabatur ejus Carminis poëta, ut illum Baccho offerret, vel quod faciem ſuam fæce vinacea, larva nondum inventa, perungebant ſcenici: fæces enim Græce dicuntur τρύγες. Comœdia ut & Tragœdia a ſacris Bacchi, in quibus ei pro fructibus vota ſolvebant, originem ſuam duxere, ut ex Athenæo

Lib. 2. cap. 3. conſtare poteſt: Ἀπὸ μέθης καὶ ἡ τῆς κωμῳδίας καὶ ἡ τῆς τραγῳδίας εὕρεσις, ἐν Ἰκαρίᾳ τῆς Ἀττικῆς εὑρέθη καὶ κατ᾽ αὐτὸν τὸν τῆς τρύγης καιρόν. *A temulentia Comœdiæ & Tragœdiæ origo, in Icaria Atticæ pago, ipſo vindemiæ tempore.* His ſubjiciantur Iſaacus Caſaubonus Lib. I. cap. 1. de Satyrica Græcorum Poëſi, ac Theodorus ab Almeloveen in Specimine Antiquitatum e ſacris profanarum ad Caput Exodi 13.

XXVIII. Tragicis Æſchylo, Sophocli, Euripidi ætate ſuppar erat medicorum maximus & naturæ peritiſſimus Hippocrates Cous ab illuſtri & regia Aſclepiadarum familia oriundus. Hic primus Græcorum præcepta medendi clariſſima condidit, ac medicinam ex parvis initiis in magnam artem provexit. Unde Pætus in Epiſt. ad Artaxer. vocat eum divina natura ingenioque præ-

præditum, & *ὑγείας πατέρα, σωτῆρα, ἀκεσώδυνον, καὶ ἁπλῶς ἡγεμόνα τῆς θεοπρεποῦς ἐπιστήμης. Sanitatis parentem, ſervatorem, dolorum ſoſpitorem, & ſummatim dicendo, divinæ ſcientiæ manuductorem.* In tumulo viri hujus arte & facundia inſignis talis exſtat inſcriptio Anthol. Græcæ Lib. 3. titul. *εἰς Ἰατροὺς.*

Θέσσαλος Ἱπποκράτης, Χῶος γένος, ἐνθάδε κεῖται,
Φοίβου ἀπὸ ῥίζης ἀθανάτου γεγαώς.
Πλεῖστα τρόπαια νόσων στήσας ὅπλοις ὑγιείης
δόξαν ἕλων πολλὴν, οὐ τύχῃ ἀλλὰ πόνῳ.

*Theſſalus Hippocrates, Cous genere, hac jacet urna,*
*Phœbi immortalis germine prognatus.*

*Crebra tropæa tulit morborum armis Hygieiæ:*
*Laudem aptus nulla ſorte, ſed arte ſuam.*

Ante Tragicos ac Comicos Hippocratemque ætate nempe Solonis vixit Phocylides Mileſius, qui verſus ſcripſit Heroicos & Elegiacos, item admonitiones ſive ſententias, quas quidam, teſte Suida, capita nominant, de Sibyllinis carminibus excerpta. Ejusdem ætatis erat Theognis; quem Megarenſem e Sicilia fuiſſe dicunt nonnulli. Alii Megaris Iſthmo Corinthiaco vicina urbe oriundum aſſerunt. Hic γνωμολογικὰ, id eſt, præcepta de bonis moribus & honeſte vivendo tradidit. Horum æqualis erat Hipponax Epheſius auctor claudi Jambi, qui amaritudinem Carminum diſtrinxit in Bupalum & Anthermum ſculptores, propterea quod vultus notabilem deformitatem ri-

ridentium oculis propoſuiſſent, ut refert Plinius Hiſt. Natur. Lib. 36. cap. 5. Vide Tzetzem in Chil. qui Carmen Hipponactis de Bupalo adfert. Hos ætate ſupergrediebatur Tyrtæus Lacon ſive Mileſius, ἐλεγειοποιὸς κ̀ αὐλητὴς, elegiarum conditor ac tibicen; vixit enim Olympiade XXXV. ut ait Suidas. Et tempora conveniunt, cum Meſſenium bellum cœperit Olympiad. XXV. ac duraverit annis XX. Qvo in bello compoſita carmina cum exercitui Spartanorum, quorum contra Meſſenios Dux erat, narrante Juſtino Lib. 3. cap. 5. pro concione recitaſſet, in quibus hortamenta virtutis, damnorum ſolatia, tribus enim præliis a Meſſeniis fuſi erant, belli conſilia conſcripſerat, tantum ardorem militibus injecit, ut non de ſalute, ſed de ſepultura ſolliciti hoſtes vicerint ac proſtraverint. Hujus ut & Verſuum ejus fragmentorum me-

minere non ſemel Plato Libris de Legibus, Strabo Lib. 8. Plutarchus in Lycurgo, Pauſanias Meſſenicis ſive Lib. 4. aliique.

XXIX. Ætas vero Lyricorum nihil Pythagora nobilius peperit. Qui, ut plurimorum conſentiens eſt opinio, natus in inſula Samo, ac primo præceptore Pherecyde, *qui primus verſuum nexu*, ut loquitur Apulejus Floridor. Lib. 2. *repudiato, conſcribere auſus eſt*, uſus (qui, docente Luca Holſtenio in ſuis obſervationibus ad vitam Pythagoræ a Porphyrio ſcriptam, non ex Syria Orientis provincia, ut nonnulli ſentiunt, oriundus erat, ſed ex Syro Maris Ægæi inſula) ex diuturna illa per Ægyptum, Perſidem, Cretam & Lacedæmona peregrinatione, qua bonum & capax litteras diſcendi ingenium multiplici ſcientia excoluit, domum reverſus, cum patriam tyrannide Polycratis op-

oppreſſam inveniſſet, Italiam petiit. Ubi Scholam aperiens Crotonienſes in luxuriam lapſos præceptis ſuis ad frugalitatem virtutum genitricem revocavit, ac plurimis & opulentiſſimis urbibus in ultima Italiæ ora, quæ tunc major Græcia appellabatur, effectus ſuorum ſtudiorum approbavit, ut tradunt Diogenes Laërtius, Porphyrius ac Jamblichus in vita Pythagoræ. Ab hoc nomen Philoſophiæ, ut cuivis notum eſt, exortum, & Philoſophorum genus Italicum, ut a Thalete Ionicum, a Xenophane Eleaticum. Legantur Diogenes ac Clemens Alexandrinus Lib. 1. Stromat. Ab Ægyptiis, apud quos, ſcribentibus Porphyrio ac Jamblicho in vita Pythagoræ, & Clemente Alexandrino Lib. 5. Stromat. triplex erat litterarum genus, Epiſtolicum ſcilicet, hieroglyphicum ac Symbolicum, Symbola quædam, hoc eſt, ænigmata,

quæ veteribus Romanis Sirpi dicebantur, ſive ſententias quasdam obſcuriores, ut ſigna ac indicia quædam ſuæ philoſophiæ accepit, quibus ingenia diſcipulorum exercebat, quo acuerentur, ac ad majorem ſciendi cupiditatem excitarentur, bene ſciens omne obvium ac promtum evileſcere, ac mox contemni. De quibus Symbolis, & illorum interpretatione, præter antiquiores Plutarchum, Athenæum, Laërtium, ac recentiores Beroaldum, Roterodamum, Joannem Phorcinum legatur Lilius Gyraldus. Qui tantæ erat auctoritatis, ut ejus ſectatores τῶν ζητουμένων τὰς ἀποδείξεις παραιτούμενοι, τὸ αὐτὸς ἔφα, πίστιν arbitrati ſint, & hanc vocem ſatis eſſe dixerint πρὸς τὴν βεβαίωσιν, ὧν ἀκηκόασι, ut refert Clem. Alexand. Lib. 2. Strom. Quod ad eos præcipue referendum putat Scilterus in Diſſertat. de Diſcipl. Pythagorica

cap.

cap. 37. quibus in ipſis principiis tradendis præceptori fidem habere fas erat, cum veriſimile ſit eum non velle illos, qui caput in litteris altius extulere, plus ſibi, quam res & ratio ipſa conceſſit, tribuere, præſertim quum ſummus veritatis cultor fuerit. Qui vero ſeſe in conſortium ejus dederant, atque diſcipuli ejus revera fuerant, erant vel *ἀκουστικοὶ* vel *μαθηματικοὶ*, ut patet ex his Clementis Alexandrini verbis, quæ leguntur Lib. 5. Stromat. *γαὶ μὴν καὶ ἡ Πυθαγόρου συνουσία, καὶ ἡ πρὸς τοὺς Ὁμιλητὰς διττὴ κοινωνία, ἀκουσματικοὺς τοὺς πολλοὺς, καί τινας μαθηματικοὺς ἑτέρους καλοῦσα, τοὺς γνησίους ἀνθαπτομένους τῆς φιλοσοφίας· ἀλλὰ τὸ μὲν φᾶσθαι· τὸ δὲ κεκρυμμένον εἶναι πρὸς τοὺς πολλοὺς ἠνίσσετο.* Hoc eſt: *Quinetiam Pythagoræ conſvetudo, & quæ cum familiaribus erat duplex conjunctio, vocans quosdam ἀκουσμα-*

*ἀκȣσματικȣ̀ς, id eſt, auſcultatores, quosdam vero Mathematicos, qui ſincere ac germane attingebant Philoſophiam, ſignificabat aliud quidem dictum fuiſſe, aliud vero fuiſſe a multis occultatum.* Vide ſis ad hunc locum notas celeberrimæ memoriæ Schefferi in de Natura & Conſtit. Philoſophiæ Italicæ cap. 11. Per Ἀκȣσματικȣ̀ς Jamblichus intelligit viros principes in Rep. verſantes, qui ἀκȣ́σμασι tantum, hoc eſt, præceptis de vitæ officiis (quæ Malchus τὰς κεφαλαιώδεις ὑποθήκας τῶν γραμμάτων vocat, id eſt, *ſumma capita præceptaque litterarum*) inſtructi erant, nunquam ad μαθήματα & ἀποδείξεις accedentes. Quæ non conveniunt cum Gellio, qui Lib. 1. cap. 9. illos dictos fuiſſe ἀκȣστικȣ̀ς aſſerit, qui adhuc per ſilentii obſervationem probarentur. Iis autem, qui tacentes, quæ dicebantur ab aliis, audiebant, neque

que percunctari, ſi parum intellexerant, neque commentari, quæ audierant, fas erat. Per Commentari hic intelligitur τὸ ὑπομνηματίζειν, h.e. annotare, ad ſubſidium memoriæ recondere, unde commentarii vocabulum. Ratio hujus prohibitionis hæc erat potiſſima, quo memoria excoleretur, ac a torpore ſervaretur. Nec immerito: Illa enim, quæ ſcriptis reponuntur, velut ipſa ſecuritate dimittuntur. Quin & omnis diſciplina memoria conſtat, fruſtraque docemur, ſi quidquid audimus, præterfluat. Μαθηματικοὶ vero appellati ſunt illi, qui ætate ac diſciplinis ante alios provecti non ſolum audire, ſed & loqui ac interrogare fas habebant, ut ex his Gellii verbis, ſupra adducto loco, patet: *Aſt ubi didicere rerum omnium difficillimam tacere, audireque, atque eſſe jam cœperant ſilentio eruditi, cui erat nomen ἐχεμυθία:*

*tum*

*tum verba facere & quærere, quæque audiſſent, ſcribere, & quæ ipſi opinarentur, exprimere poteſtas erat.* Μαθηματικοὶ vero ſpecialiori nomine illi dicti ſunt, qui circa Mathematicas diſciplinas verſabantur. Legatur Gellius ſupra citato loco. Cum quo conſentit Scholiaſtes Theocriti in Idyll. 14. cujus hæc ſunt verba: Οἱ δ᾽ περὶ τὰ μαθήματα τὰ γεωμετρικὰ καὶ ἀστρονομικὰ, οὗτοι ἐκαλοῦντο μαθηματικοί. Qui diſciplinarum Mathematicarum ſtudiis ornati ad perſpicienda mundi opera procedebant, nominati φυσικοί. Qua in contemplatione cum ad principia rerum, id eſt, Deum & divina progreſſi eſſent, σεβαστικοὶ vocati. Scientiæ quippe naturalis ſtudium doctrinam quoque τὴν μετὰ τὰ φυσικὰ comprehendebat. His Mathematicis ac Phyſicis Scholiaſtes Theocriti in Idyll. ſupra citatum adjicit πολιτικοὺς, qui

περὶ

περὶ τὰ ἀνθρώπινα, circa res civiles verſabantur. Ceterum diſcipuli ejus quoque dicti ſunt Pythagorei, qui in eo differebant a Pythagoriſtis, quod illi ſecretiorum illius dogmatum participes ab ipſo Pythagora informati, hi nondum in ſanctiora philoſophiæ ejus admiſſi non ab ipſo Pythagora, ſed a propriis & intimis ejus diſcipulis eruditi. De qua re legendi Dn. Schefferus in de Natura & Conſtitutione Philoſophiæ Italicæ cap. 11. ac Rodericus Caſtrenſis Luſitanus in Pythagora. Theocriti v. Scholiaſtes ad Idyll. 14. Pythagoricos & Pythagoriſtas habitu veſtituque diſtingvit, dicens illos amictu cultiori uſos, hos tenuiori ac ſqualidiori. Verba ejus ſunt: διαφέρουσι δὲ Πυθαγορικοὶ τῶν Πυθαγοριστῶν, ὅτι οἱ μὲν Πυθαγορικοὶ πᾶσαν φροντίδα ποιοῦνται τοῦ σώματος· οἱ δὲ Πυθαγορισταὶ περιεσταλμένῃ καὶ αὐχμηρᾷ διαίτῃ

αὐτῇ χρῶνται. Verum cum cultus ac munditia vix ante Diodorum Aſpendium, docente Ferrario de Re Veſtiaria part. 2. Lib. 4. cap. 16. a quibusdam Pythagoræ ſectatoribus ſint neglecta, quocirca melior eſt hæc differentia, qua idem Scholiaſtes dicto loco ait illos nominatos Pythagoricos, qui ejus ſententiæ erant addicti, ac eundem vitæ cultum ſecuti; Pythagoriſtas vero, qui quidem ipſius dogma recipiebant, non tamen in totum ei ſuffragabantur. Verba Scholiaſtæ ſunt ſequentia: Τινὲς δὲ Πυθαγορειστὰς λέγουσι, τοὺς ἀποδεχομένους τὰ Πυθαγόρου, μὴ ὄντας δὲ τῆς ἐκείνου δόξης· Πυθαγορικοὺς δὲ, τοὺς οὕτω φρονοῦντας ὡς ἐκεῖνος, καὶ κατὰ Πυθαγόραν διαιτωμένους. Nec illud prætereundum eſt, quod omnes ſtatim, qui a Pythagora in cohortem diſcipulorum recepti erant, bona ſua in medium dabant. Pythagoreos iis, qui

qui a philoſophia Pythagoræ defeciſſent, & qui temere eam divulgaſſent, cenotaphia tanquam mortuis exſtruxiſſe ſcribit Clemens Alexandrinus Lib. 5. Stromat. Φασί γ' οὖν Ἵππαρχον τὸν Πυθαγόρειον αἰτίαν ἔχοντα γράψασθαι τὰ τοῦ Πυθαγόρου σαφῶς, ἐξελαθῆναι τῆς διατριβῆς, καὶ στήλην ἐπ' αὐτῷ γενέσθαι οἷα νεκρῷ. Διὸ καὶ ἐν τῇ βαρβάρῳ φιλοσοφίᾳ νεκροὺς καλοῦσι τοὺς ἐκπεσόντας τῶν δογμάτων, καὶ καθυποτάξαντας τὸν νοῦν τοῖς πάθεσι τοῖς ψυχικοῖς. *Ajunt certe Hipparchum Pythagoreum accuſatum, quod aperte ſcripſiſſet decreta Pythagoræ, expulſum fuiſſe e ſchola, & ob id ipſum, tanquam mortuo, impoſitam columnam fuiſſe. Quocirca etiam in barbara philoſophia vocant mortuos eos, qui exciderunt a dogmatibus, & mentem ſubjecerunt animæ perturbationibus.* Cum his cõferatur Cante-

rus Variar. Lectionum Lib. 1. cap. 12. Pythagorei omnia ſua ſcripta nomine Pythagoræ, qui nullam doctrinæ ſuæ partem reliquit litteris a ſe conſignatam, inſigniebant ſua ſubtrahentes. Atque hinc factum, ut olim multa tanquam a Pythagora ſcripta circumferrentur. In quo imitati Ægyptios, qui omnia ſuæ ſapientiæ inventa Mercurii nomine inſcribebant, ut ſcriptum reliquit Jamblichus de Myſteriis Ægyptiorum cap. 1. Sect. 1. Nam in Ægypto, quidquid in artibus erat inventum, cum a communi eruditorum conſenſu probatum eſſet, ſine auctoris nomine columnis inſcribebatur, & in adytis ſacris reponebatur. Inde tanta librorum Mercurio inſcriptorum farrago. Qui Pythagorei, quod & adnotatu dignum, tantæ erant dignationis, ut, qui ſapiens haberetur, is continuo Pythagoreus putaretur. Unde nonnulli,

cum

cum accepiſſent a majoribus Numam ſapientem virum fuiſſe, temporum differentiam propter vetuſtatem non ſcientes auctorem doctrinæ ejus Samium Pythagoram falſo ediderunt: quem, Servio Tullio Romæ regnante, vixiſſe ex Livio Lib. 1. cap. 18. conſtat. Cui conſentiunt Dionyſius Halicarnaſſ. Lib. 2. cap. 60. & Euſebius de Præparat. Evang. Lib. 10. cap. 4. Pythagoras, cum magnus, ut dictum, eſſet ingenio, exercitatione promtus, uſu eruditus, ac nihil doceret, niſi utilitate eximium ac vitæ accommodatum, ab incolis Metaponti, ubi, ut refert Themiſtius in Orat. 4. obiiſſe dicitur, tanti poſt mortem æſtimatus eſt, ut ex domo ejus templum fecerint, ac eum pro Deo venerati ſint, ut memoriæ proditum eſt a Juſtino Lib. 20. cap. 4.

XXX. Pythagoram philoſophiam ſuam a Judæis in Græciam traduxiſſe,

ut arbitrantur Origenes contra Celſum Lib. 1. & Clemens Alexandrinus Lib. 1. Stromat. aliique, veritati minus congruens eſſe videtur. Conſtat quippe ex Joſepho Lib. 1. contra Apionem, Judæos antiquis temporibus, nempe ante exilium Babylonienſe & poſt illud, fuiſſe Græcis ita ignotos, ut ne nomen eorum Græcis inauditum fuerit. Qui demum Græcis ſub Alexandri Magni expeditione innotuerunt, quum in ditionem ejus cum ipſis Perſis venirent. Legatur Marshamus in Chronico Canone Ægyptiaco, Hebraico, Græco ad Sæculum IX. Quin & Judæi in tantum a gentilium communicatione abhorruere, ut putarent ex illorum congreſſu ſive converſatione immunditiem quandam contrahi. Hinc ſingulas gentes tanquam eluviem atque ſentinam orbis præ ſuo populo ducebant. Quam ob cauſſam paſcha eſuri prætorium Pi-

lati non ingrediebantur. Joann. Cap. 18. Commat. 28. Et quod lex fuerit hereditas ac peculium Eccleſiæ Jacob, ideo Theopompus Hiſtoricus & poëta Theodectes divinitus pœnas violatæ ſacræ legis, quod quædam ex ea ſumta ſuis ſcriptis inſerere, eaque in vulgus edere voluerint, pendebant, ille inſania, hic cæcitate, ut ſcribit Joſephus Antiquit. Judaic. Lib. 12. cap. 2. & ex illo Zonaras Annalium tomo primo. Imo Græca ſeptuaginta interpretum verſio in tanto odio ac deteſtatione apud Germanos Judæos in Judæa commorantes erat, ut propter eam jejunium die octava menſis Tebeth ſeu Decembris indixerint, dicentes, cum Lex in linguam Græcam verteretur, trium dierum tenebras per univerſum orbem fuiſſe, ſicuti ex libris Rabbinorum tradunt Caſaubonus Exercit. 2. ad Annales Baronii Anni I. Num. LIX. Buxtor-

ſius in Synagoga Judaica cap. 30. Hottingerus in Theſauro Philolog. Lib. 1. cap. 3. Sect. 3. Quæſt. 12. Recte igitur Lactantius vir eloquentiſſimus pariterque eruditiſſimus ſentit, cum ita Lib. 4. de Vera Sapientia cap. 2. ſcribit: *Unde equidem ſoleo mirari, quod cum Pythagoras, & poſtea Plato, amore indagandæ veritatis accenſi ad Ægyptios & Magos & Perſas usque penetraſſent, ut earum gentium ritus & ſacra cognoſcerent (ſuſpicabantur enim ſapientiam in religione verſari) ad Judæos tantum non acceſſerint; penes quos tunc ſolos erat; & quo facilius ire potuiſſent. Sed averſos eſſe arbitror divina providentia, ne ſcire poſſent veritatem: quia nondum fas erat alienigenis hominibus, religionem Dei veri juſtitiamq́ cognoſcere.* Quod & confirmatum it ſitus urbium Judæorum: quæ ideo ſine omni dubio, volun-

luntate Supremi Numinis, longe a mari erant diſſitæ, ac in mediterraneis locis poſitæ, quo Judæi maria non tranſirent, ſed vitam procul commerciis agitarent rebus ſuis contenti, & peregrinantibus nullus ad eos aditus eſſet. Adeantur Flavius Joſephus Lib. 1. contra Apionem, Cunæus de Republ. Hebræorum Lib. 1. cap. 4. *κεκώλυκε γὰρ*, ut tradit Procopius Gazæus in Reg. Lib. 3. c. 17. *τὴν πρὸς ἀλλήλους ἐπιμιξίαν, διὰ τὴν τῶν Ἰουδαίων ἀσθένειαν, ἣν ἂν ἐπέτρεψεν, εἰ ἐδεξιοὶ ὄντες ὠφελεῖν ἐκείνους ἠδύναντο· καθάπερ ὁ προφήτης Ἡλίας. Ταύτην γὰρ ἐν τῷ νόμῳ τῆς ἀμιξίας αἰτίαν φησὶ, τὸ μὴ ἐκπορνεῦσαι πρὸς τοὺς Θεοὺς αὐτῶν, ἢ τοὺς υἱοὺς τοὺς ἐξ Ἰσραὴλ, ἢ τὰς θυγατέρας, γινομένης ἐπιγαμίας.* Hoc eſt, interprete Ludovico Lavatero: *Deus enim converſationem cum alienigenis prohibuerat propter Judæorum*

*rum imbecillitatem, quam eis permiſiſſet, ſi firmi exiſtentes ipſis prodeſſe potuiſſent, quemadmodum Helias propheta. Hanc enim in lege vitandi commercii alienigenarum cauſſam adfert, ne fornicentur cum Diis ipſorum, aut filii Iſrael vel filiæ, nuptiis cum impiis contractis, ſeducantur.* Cum jam ex iis, quæ dicta ſunt, veriſimile ſit Græcos, antiquioribus Perſarum temporibus, nec ſacras veritatis litteras attigiſſe, nec in illis a Judæis edoctos fuiſſe; ſequitur proinde omnem illam philoſophiæ Græcæ cum Judaica convenientiam ab Ægyptiaca prognatam eſſe. Nam conſtat Græcos veteres, qui omnium temporum momenta ad percipiendam ac exercendam doctrinam contulere, in Ægyptum profectos eſſe, quo inde rudimenta ſapientiæ peterent. Nec ſine cauſſa: Erant enim Ægyptii eo tempore in artibus inveniendis

dis ſollertes, in cognitione rerum indaganda ſagaces. Hinc Macrobius Lib. 1. Saturnal. cap 15. Ægyptum artium matrem appellare non veretur. Huic addatur Oraculum Apollinis a Porphyrio apud Euſebium de Præparat. Evangel. Lib. 9. cap. 10. adlatum. Qua ex cauſſa Heurnius Lib. 1. Barbaricæ Philoſophiæ Antiquitatum, qui inſcribitur Chaldaicus, ſcribit Moſem, qui in omnibus ſtudiis doctrinarum Ægyptiorum erat eruditus, cum ex Ægypto Iſraëlitas in Chanaan educeret, eos ut divina myſteria; ſic & diſciplinas ab Ægyptiis acceptas docuiſſe. Legatur ipſe Heurnius.

XXXI. Ex his, quæ jam dicta ſunt, facile colligitur Græcos ſero admodum litteris operam dare cœpiſſe. Nam Philoſophi Græcorum tempore prophetarum nondum erant. Pythagoras, a quo philoſophia, ut nuper comme-

moratum eſt, ſuum nomen habet, eo tempore, quo Judæorum ſoluta eſt captivitas, cœpit ingenio eminere. Huic ſi addantur ſuperiores, qui nondum philoſophi vocabantur, ſeptem nempe ſapientes, ac deinde ceteri, qui Thaleti in natura perſcrutanda ſucceſſerunt, aliique nonnulli, antequam Pythagoras ſe philoſophum primus nominaret, nec hos quidem ante Perſici regni exordia vixiſſe ex Euſebio de Præparat. Evang. Lib. 10. cap. 4. Auguſtino de Civitat. Dei Lib. 18. cap. 37. Pererio de Antiquis philoſophis Lib. 4. cap. 4. & aliis non difficulter quis deprehendet, cum, Cyro rerum potiente, ut iidem teſtantur, celebres habiti ſint. Unde ſcribit Plato in Timæo, Solonem ex Ægypto reverſum Critiæ dixiſſe ex quodam Ægyptio ſacerdote ſe audiviſſe verba hæc: *ὦ Σόλων Σόλων, ἕλληνες ἀεὶ παῖδές ἐστε, γέρων δ' ἕλλην οὐκ ἔστιν.* Et poſt pau-

pauca: Νέοι ἐστὲ τὰς ψυχὰς πάντες. οὐδεμίαν γὰρ ἐν αὐταῖς ἔχετε, δι' ἀρχαίαν ἀκοὴν, παλαιὰν δόξαν, οὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν οὐδέν. Hoc eſt: *O Solon Solon, Græci ſemper pueri eſtis: Senex Græcorum eſt nullus. Juvenes eſtis animis omnes. Nullam enim ex antiqua auditione veterem ſententiam in ipſis habetis, neque diſciplinam vetuſtate canam ullam.* Senes illi nuncupati, qui antiquiora noverunt: Juvenes vero, qui recentiora, & quæ heri & nuper a Græcis facta erant, ut vetera & antiqua retulere, ut hunc locum exponit Clemens Alexandrinus Lib. 1. Stromat. Septem illis ſapientibus Linus, Orpheus, Muſæus annis quidem priores reperiuntur, at Moſem omni Ægyptiorum ſapientia eruditum tempore non præveniunt. Nam cum juxta Euſebium de Præparat. Evang. Lib. 10. cap. 9. temporibus Cecro-

pis

pis primi Athenienſium regis vixerit, omnibus Græcorum poëtis, legislatoribus, ſapientibus, philoſophis, Hiſtoricis erat antiquior. Videatur Joſephus Lib 2. contra Apionem. Veteres quidem plerique faciunt Moſis æqualem Inachum, ut Polemo Lib. 1. de rebus Græcorum, Apion in ſuo contra Judæos commentario, Ptolomæus Mendeſius in rebus Ægyptiorum, Hellanicus ac Philochorus in Æthide, qui ſcripſerunt res Athenienſium & alii. Quos hac parte ſecuti ſunt Juſtinus Martyr in Sermone ad Gentes exhortatorio, Tatianus in Oratione adverſus Græcos, Clemens Alexandrinus Stromat. Lib. 1. Sed aliquot ſæculis Inacho Moſem fuiſſe ſuperiorem, validis adſerit argumentis Euſebius in ſupra adducto loco. Ne in ratione temporum videar prolixior, his paucis adlatis contentus ero.

XXXII.

XXXII. Poſt bellum Græciæ cum Xerxe, philoſophia caput ſuum ſub Socrate, qui non tantum totius Græciæ judicio, verum etiam Apollinis Oraculo, cum acumine & ſubtilitate, tum eloquentia ac copia, in quamcunque partem ſe dediſſet, omnium fuit facile princeps, extulit. Hic (qui initio pictor erat, ut legere eſt apud Gerardum Voſſium de Graphice, paragrapho 46.) ſentiendi ſapienter & ornate dicendi ſcientias re cohærentes diſputationibus ſuis ſejunxit. Nam usque ad illius tempora, cunctarum rerum, quæ ad vitam, quæ ad virtutem, quæ ad Rempubl. ſpectabant, cognitio & ſcientia cum dicendi ratione juncta erat. Quod perhibet Cicero Lib.3. de Oratore. Qui cum animadverteret erudititiſſimorum virorum ingenia tantum in *Φυσικῇ θεωρίᾳ*, menſuriſque ſolis & lunæ & reliquorum ſiderum occupari, animum

mum ſerio adpulit ad Ethicen, de illa &in officinis &in publico diſſerens, ut tradit Diogenes Laërtius Lib. 2. in Vita ejus. Socrates igitur primus inter Græcos ſuo ſæculo philoſophiam tanquam devocavit e cœlo, ac in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit, & coëgit de vita & moribus, rebusque bonis & malis quærere, ut ſcriptum reliquit Cicero Lib. 5. Quæſtion. Tuſculanar. Hic quamvis per omnia aſpera jactaretur, ac ultimo cicutam bibere coactus ſit, ſemper tamen eodem viſus eſt vultu, nec aut hilari magis, aut turbato. Contra quem talis adverſariorum accuſationis libellus apud Platonem, qui multiplicem diſputandi ejus rationem, rerumque varietatem & ingenii magnitudinem immortalitati ſcriptis ſuis tradidit, in Apologia Socratis reperitur: *Σωκράτης ἀδικεῖ, καὶ περιεργάζεται ζητῶν τά τε ὑπὸ γῆν*

καὶ

*καὶ τὰ ἐπουράνια· καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν· καὶ ἄλλους ταῦτα διδάσκων. Socrates præter jus & æquum curioſius inveſtigat ea, quæ ſub terra & in cælo ſunt: & ſermonem non bonum, dicendo efficit bonum: & alios, etiam hoc docet.* Quam accuſationem Anytus & Melitus ſpiritu luebant, cum lapidibus ſint obruti, ut ſcribunt Diogenes Laërtius in Vita Socratis, ac Themiſtius Orat. ſecund. in patris obitum.

XXXIII. Sciendum eſt, ut hanc rem altius repetam, duas fuiſſe apud Græcos philoſophorum principes ſectas, e quibus reliquæ natæ ac proſeminatæ ſunt, unam Ionicam, alteram Italicam: quæ ex locis, in quibus floruere, ita appellatæ ſunt. Tertia vero ſecta, quæ a Clemente Alexandrino I. Stromat. Eleatica nominatur ab Elea ſeu Velia Lucaniæ in Italia oppido, cujus caput

erat

erat Xenophanes Colophonius, qui tempore Hieronis Regis Siculi vixit, & Epicharmi poëtæ, cui poſteritas hoc erexit monumentum:

*Πολλὰ γὰρ ποτ' λὰν ζωὰν τοῖς παισὶν εἶπε χρήσιμα·*
*μεγάλα χάρις αὐτῷ.*

Multa enim ad vitam pueros docuit utilia: Magna gratia illi (habenda eſt) a multis ſubjicitur ac ſubnectitur diſciplinæ Italicæ. Quam tamen Lipſius Lib. 1. Manuduct. ad Stoicam philoſophiam diſſert. 9. ob dogmata diverſa, ab Italica ſeparat. Sectæ hujus ſucceſſionem lege ſis apud Clementem Alexandrinum Lib. 1. Stromat. De Italica theſi XXIX. actum eſt. Ionicæ vero Sectæ, quæ nomen & numerum præcipue habuit, principi Thaleti Mileſio ſucceſſit Anaximander Mileſius, quem ſubſecutus eſt Anaximenes Mileſius, cujus diſcipulus fuit Anaxagoras Cla-

Clazomenius, qui primus ex Ionia ſcholam Athenas traduxit, & initium dedit nobili huic philoſophiæ domicilio. Anaxagoram audivit Archelaus Athenienſis magni illius Socratis præceptor. Vide, ſi lubet, Diogenem Laërtium in proœmio de vitis philoſophorum, Clementem Alexandrinum Lib. 1. Stromat. Lipſium Lib. 1. Manuduct. ad Stoicam Philoſophiam Diſſert. 8.

E Socratis ſchola, quod ex illius variis & in omnem partem diffuſis diſputationibus alius aliud apprehenderit, prodiere tandem tres illæ philoſophorum ſummæ quaſi familiæ, omniumque celeberrimæ, multum inter ſe disjunctæ ac diſpares. Prima erat Academicorum, quorum magiſter ſive princeps Plato, homo veritatis amantiſſimus, ejusque omnibus exhibendæ promtiſſimus. Qui tanta ingenii ab-

undantia ac eloquendi facultate erat inſtructus, *ut ſi ipſe Jupiter cœlo deſcendiſſet*, ut loquitur Valerius Maximus Lib. 8. cap 7. *nec elegantiore, nec beatiore facundia uſurus videretur.* Hunc igitur ob mirabilem ſapientiam ac ſingularem eloquii ſvavitatem, in tantum veneratum fuiſſe Dionyſium tyrannum, qui alias ſævitiæ ac ſuperbiæ natus erat, auctor eſt Plinius, vir extra omnem ingenii aleam poſitus, Natural. Hiſtor. Lib. 7. cap. 30. ut navem vittatam ei obviam miſerit, ac ipſe quadrigis albis egredientem in litore exceperit. Qui cum putaret parum perficiendæ philoſophiæ Socraticam diſciplinam, in qua Socrati operam dederat, ſufficere, quam longe lateque potuit, peregrinatus eſt, quaqua verſum eum alicujus nobilitatæ ſcientiæ percipiendæ fama rapiebat. Si tanta vis, tanta copia litterarum undiq; colligenda erat, ut

ut invicem per totum terrarum orbem diſpergi ac dilatari poſſet. Qui, cum Socratem, qui primus ut dictum eſt theſi XXXII. a rebus occultis philoſophiam ad vitam communem abduxit, in rebus civilibus, in conſpiciendis naturæ cauſſis Heraclitum, Pythagoram, in illis, quæ ad intelligentiam pertinerent, hoc eſt, ad primam philoſophiam, ut monet Lipſius Lib. 2. Manuduction. ſectaretur, primus philoſophiam perfeciſſe laudatur eam in unum & quaſi proprii partus corpus copulans ac compingens. Erat ergo triplex a Platone philoſophandi ratio accepta: una, quæ morum elimatam perfectionem docebat: altera, quæ de natura & rebus occultis diſputabat: tertia vero in ratione & in diſſerendo ſita erat, oſtendens quid rectum pravumque: quid conſentiens, quid repugnans. Legatur Cicero Lib. 1. Acad.

Quæſt. Addatur Diogenes Laërtius in Vita Platonis, Apulejus in de Dogmate Platonis, Macrobius in Somnium Scipionis Lib. 2. cap. 17. Euſebius de Præparat. Evangelica Lib. 11. cap. 2. alique. Hic cum in Academia, quæ erat Gymnaſium, ut ſcribunt Laërtius in vita Platonis & Michaël Apoſtolius Proverb. 31. Cent. 2. ſuburbanum ac nemoribus conſitum ab Athenis mille paſſus diſtans, ſic dictum ab Heroe quodam, hujus gymnaſii auctore, Academo, moraretur ac doceret, diſcipuli ac ſectatores illius Academici ſunt appellati. Academia vero in veterem, mediam, novam diſtingvi cœpit, cum Arceſilaus patria Pitanæus ex Æolide, Crantoris Solenſis diſcipulus mediam invexit, cenſendo omnia in occulto ita latere, ut nihil cognoſci, nihil percipi, nihil ſciri poſſit: ideoque ajebat nihil oportere quemquam neque profiteri,

neque

neque affirmare, neque aſſertione approbare. Conſulatur Cicero Lib. 1. Academ. Quæſt. Hic primus poſt veterem Academiam, in qua Platonis decreta a ſucceſſoribus ejus Speuſippo, Xenocrate, Polemone, Cratete ac Crantore tradebantur, ſententiam Platonis a Socrate de rerum incertitudine ſive dubitatione hoc cum modo hauſtam, ut ſcientiam earum rerum, quæ ſub intellectum cadunt, dari fateretur, opinionem vero in illis, quæ ſenſu comprehenduntur, ſed omni aſſentiendi temeritate ſpreta, expugnare aggreſſus eſt, affirmans nihil ſciri poſſe, nec illud quidem ipſum, quod Socrates ſibi reliquiſſet. Qua ratione non ſolum Ἐποχὴν in omnibus rebus induxit, ſed & omnem ſcientiam, quantum in ipſo fuit, convellere conatus eſt. Qui enim poterit eſſe ſcientia, ſi certi nihil ſit, quod quis ſequatur, ignorans, quo o-

mnia referantur? Unde Lactantio Lib. 3. cap. 6. *Ignorantiæ Magiſter appellatur.* Media vero vocitata, quod inter Platonem & Carneadem nullus repertus ſit, qui majori cum plauſu ac approbatione dogma Platonis diu retentum innovarit ac commutarit, quam hic Arceſilaus ſive Arceſilas; Cum quatuor hujus eſſent decreta, unum, nihil poſſe percipi, cum ex omnibus rebus viſa, quæ Academicis Φαντασίαι dicuntur, fieri putarit, *non ut rerum ipſarum natura eſt, ſed ut affectio animi corporisve eſt eorum, ad quos ea viſa perveniunt,* ut oſtendit Gellius Lib. II. cap. 5. Alterum, ſapientem nulli rei unquam aſſenſurum: tertium, omnia eſſe æqualiter incerta, obſcura & incognita: quartum, ſapientem nihil probaturum, nihilque opinaturum, ut docet Pererius de Antiquis Philoſophis Lib. 4. cap. 2. Carneades Cyrenæus, quartus

tus ab Arceſilao duo quidem priora Arceſilai decreta probabat, nempe nihil poſſe comprehendi, & ſapientem nulli rei tanquam plane cognitæ aſſenſurum: at in duobus poſterioribus ab eo diſcrepabat, cum inter plane incertum ac plane comprehenſum, poneret medium, ipſum probabile, & id, quod maxime ſimilitudinem gereret ſpeciemque veri: atque hoc probaturum & ſequuturum ſapientem tam in agendo, quam in diſſerendo: ita tamen ut ſe non ſcire, ſed opinari profiteatur. Qua doctrinæ circa duo poſteriora Arceſilai decreta diſcrepantia Carneades novam induxit Academiam, a rebus verum & falſum non tollens, ut fecit Arceſilas, ſed nobis certam de rebus judicandi & diſcernendi notam denegans, ut ſcribunt Cicero in Quæſt. Academ. Clemens Alexandrinus Lib. 1. Stromat. Euſebius de Præparat. Evang. Lib. 14. cap.

5. de Succeſſione Platonica. Novæ hujus Academiæ conditorem bis terque Lacydem Cyrenæum facit quidem Laërtius, ſed falſo, ſi ſuperius citatos auctores aliosque audimus. Qua ridicula ratione Lacydes ſit impulſus, ut ſe eorum ſectæ addiceret, qui τὴν ἀκαταληψίαν defendebant, diſcas ex Numenio apud Euſebium de Præparat. Evang. Lib. 14. Cap. 7. Adde Iſaacum Caſaubonum in notis ad Diogenem in hujus vita. Carneadis vero in diſſerendo quæ eloquentia, quod acumen fuerit, hoc non tantum oſtendit Cicero in Academ. Quæſt. qui doctrinam ejus ita ſtudioſe defenſum ivit, ut eam præ ceteris probaſſe videretur: ſed & id ipſum teſtatur diſputatio ejus, quam Romæ de juſtitia coram maximis tunc temporis oratoribus, Galba & Catone Cenſorio habuit ad ſenatum Populi Romani negotii publici

cauſſa

cauſſa una cum Diogene Stoico,ac Peripatetico Critolao ab Athenienſibus legatus miſſus. Nam cum diſputationem ſuam de Juſtitia, quam pridie laudaverat, poſtridie contraria diſputatione everteret ac refelleret, non quidem philoſophi auctoritate, cujus firma & ſtabilis eſſe debet ſententia, ut monet Lactantius de Juſtitia Lib. 5. c. 14. ſed veluti oratorio exercitii genere in utramque partem diſſerendi, Cato Cenſorius legatos eos quamprimum dimittendos cenſuit. Intellexit enim, illo viro argumentante, quid veri eſſet, haud facile diſcerni poſſe. Quod refert Plinius Lib. 7. cap. 30. Neo-Academici autem & Pyrrhonii, qui ſuæ ſectæ auctorem habuere Pyrrhonem, inter ſe differre maxime propterea exiſtimati ſunt: *quod Academici quidem ipſum illud, nihil poſſe comprehendi, quaſi comprehendunt: Et, nihil poſſe*

*decerni, quaſi decernunt: Pyrrhonii ne id quidem ullo pacto videri verum dicunt: quod nihil eſſe verum videtur,* ut docet Gellius Lib. II. cap 5. Hinc Græco cognomento σκεπτικοὶ, ἐφεκτικοὶ, Ἀπορητικοὶ nominati ſunt. In ſumma, utrique nihil certo ſtatui poſſe conſentiebant: ſed Pyrrhonii ne id quidem certo aſſeverare volebant. Academici autem modeſtiores, & Socratica Ἐιρωνείᾳ, qua uſus ſcire ſe nihil diccbat præter hoc ipſum, quod nihil ſciret, prædit, illud pro certo habebant: Nihil poſſe comprehendi. De quibus ita ſcribit Joannes Saresberienſis Policratico Lib. 7. cap. 1. *Academici vero vitantes præcipitium falſitatis, in eo quidem modeſtiores ſunt, quod defectum ſuum minime diffitentur, & in rerum ignorantia poſiti, fere de ſingulis dubitant. Quod quidem longe tutius eſt, quam incerta temere definire.*

His

His addantur Minucii Felicis Octavius, Arnobius Lib.2. Hornius Hiſtoriæ Philoſophicæ Lib. 3. cap. 18. Quod Laërtius Lib. 9. Pyrrhoniorum ſectæ principem fuiſſe Homerum & ſeptem Græciæ ſapientes dicat, in eo fallit. Nam dogma Pyrrhoniorum, quo omnia eſſe incerta, dubia & fallacia ſtatuebatur, nullo modo cum Homeri doctrina & ſeptem ſapientum placitis convenit, cum ſua ἀκαταληψία ea funditus evertere conati ſint.

XXXV. Secunda familia erat Stoicorum. Cujus dux & princeps Zeno Citticus e Cittio Cypri civitate oriundus. Hic, naufragio ad Piræeum facto, cum purpuram Tyro venalem Athenas veheret, ſubtriſtior factus ſtudere cœpit, operam dans, cum jam annos natus eſſet triginta, Crateti Thebano, qui auditor erat Diogenis Sinopenſis. Hic vero, qui appellatus eſt ϑρά-

νι&

*νι⊙* *κύων*, Antiſtheni Socratis diſcipulo ſucceſſit. A quo Antiſthene patientiam ac duritiem in Socratico ſermone maxime adamante Cynici primum, deinde Stoici orti ſunt. Nam Zeno cum verecundior eſſet, quam ut ſe ad impudentiam Cynicorum, ob quam vulgo male audiebant, ut impoſtores & mendici verius quam philoſophi, conferre poſſet, leviter vitæ genus ac habitum mutavit rigidam ac ſeveram eorum doctrinam ſequens: Id quod traditur a Diogene Laërtio in vita Zenonis. Cynici nominati, quod canis cognomine ſe commendarint, bonos tuendo, malos invadendo ac allatrando; non quod ad inſtar canis in publico naturæ obſecuti ſint, ut ſentiunt quidam in eos iniquiores. Legatur Sextus Empiricus Lib. 1. Pyrrhon. cap. 14. Diogenes Laërtius in vita Antiſthenis Lib. 6. arbitratur Cynicam

eam ſectam a Gymnaſio Cynoſarge, in quo Antiſthenes docebat, ſuum habere nomen. Peræque Stoica ἀπὸ τῆς στοᾶς, id eſt, porticu, in qua Zeno philoſophiam ſuam profitebatur, dicta eſt. Quæ porticus poſtea picturis varie a Polygnoto ornata nomen illud ποικίλης ſive variæ accepit. Erant enim Athenis, ſcribente Harpocratione, tria nobiliora gymnaſia, ut Ἀκαδημία, λύκειον, κυνόσαργες. De Cynoſarge ac Lyceo legatur Meurſius Athen. Attic. Lib. 2. cap. 2. & 3. Cynicæ vero familiæ inſignia erant pera, baculus, pallium. Cujus habitus amore Crates vir domi inter Thebanos proceres dives, rem familiarem largam & uberem populo donavit, ut refert Apulejus Apologia pro ſe ipſo prima. Qui Cynici τὰ θεωρητικὰ, præcipue Mathematicas diſciplinas negligebant moralibus tantum addicti. His ac Stoicis in do-

doctrina ferme erat communio ac ſocietas quædam. Utrique enim dicebant virtutem ad beatam vitam ſufficere: Sapientem ſibi ſatis eſſe: ejus enim omnia: Sola bona pulcra, mala turpia: & finem bonorum conſentire naturæ: quod eſſe volunt e virtute, id eſt, honeſte vivere, ut docet Cicero Lib. 2. de Finibus. Hinc Laërtius in vita Menedemi Coloti Lampſaceni diſcipuli Cyniſmum vocat *σύντομον ἐπ' ἀρετὴν ὁδὸν*, hoc eſt, brevem & compendiariam ad virtutem viam. De Cyniſmo ſive ſecta Cynica legas Arrianum Lib. 3. cap. 22. In Epicteti diſputat. Adde Lipſium Lib. 1. Manuduct. ad Stoicam Philoſophiam Diſſert. 13. Zenonem in Stoica Philoſophia excepit Cleanthes Phanii filius, qui noctu cum aquam traheret, quo interdiu inopiam ſuſtentans ſtudiis commodius vacaret, per jocum *Φρεάνθλης*, hoc eſt, puteos

cos exhauriens appellatus. Cujus rei meminit Laëitius in ejus vita. Hic attenta cura Chryſippum erudivit, qui adeo ſtrenue ac feliciter Stoam ſuffulſit, ut de eo apud Laërtium in ejus Vita Lib. 7. dictum fuerit: εἰ μὴ γὰρ ἂν ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν στοά. *Niſi enim eſſet Chryſippus, non eſſet porticus.* Ad hunc locum videatur Ægidius Menagius. Reliquos in Stoa ſucceſſores habes apud Laërtium, & inprimis apud Lipſium, qui ex profeſſo hac de re in Manuductione ſua ad Stoicam philoſophiam egit. Et certe nulla alia ſecta, ut & hoc addam, antequam ad alia adgredior, externa hæc magis contemſit, imo calcavit, noxiorum ac lubricorum fugam ſæpius inculcavit, enixius virtutem exercuit, ac ſtudium ejus urſit acrius, quam hæc. Hinc Stoicam hanc philoſophiam Cicero, qui majeſtatem eloqventiæ tam magnifice ſuſtinuit, ut ar-

arma togæ cedere juſſerit, in libris de officiis potiſſimum ſecutus eſt, correctione tamen adhibita, erat qvippe Eclecticus, ut ipſe fatetur ita Lib. 1. de Officiis ad filium ſcribens: *Sed tamen noſtra legens, non multum a Peripateticis disſidentia (quoniam utrique & Socratici & Platonici eſſe volumus) de rebus ipſis utere tuo judicio: nihil enim impedio.* Unde etiam eſt, quod Lib. 3. de Officiis Peripateticos appellet Noſtros. Stoicæ huic Sectæ plurimi Veterum Romanorum JCtorum erant addicti. Hinc quam plurima Stoicæ philoſophiæ veſtigia in veterum JCtorum fragmentis occurrunt. Adeatur Scilterus in Manuductione philoſophiæ moralis ad veram nec ſimulatam Jurisprudentiam c. 1. §. 7. Quin & nulla ex reliquis ad dogma Chriſtianum hac propius acceſſit, ut cuivis facile conſtare poteſt utriusqve regulas

ac

ac leges invicem ſecum conferenti. Unde illorum opinio de mundi exuſtione divinæ veritati, ut ut in umbra interpolatæ veritatis, ſatis conformis videtur. Conſtans qvippe illis erat, paucis exceptis, ut ſcribunt Philo Judæus Lib. Qvod mundus ſit incorruptibilis ac Numenius apud Euſebium Lib. 15. Præparat. Evang. cap. 18. nempe Boëtho, Poſidonio, Panætio, Diogene, Zenone cognomento Sidonio, opinio cœlum cum omnibus, quæ cœlo continentur, vi ignis periturum. Quod Plato & Ariſtoteles negabant. Ille enim arbitrabatur Deum hoc nolle; hic ne poſſe qvidem. At in cauſſa mundi totius conflagrationis non parum Stoici errabant. Nam cum viderent ſtellas eſſe natura igneas ſive flammeas, putabant illas aqvarum vaporibus, cum nullus ignis ſine paſtu aliquo permanere poſſit, ali. Ex qvo eventurum di-

cebant, ut ad extremum, omni humore exhauſto ſive conſumto, totus mundus igni corriperetur ſive igneſceret. Adeantur Cicero Lib. 2. in de Natura Deorum, Minucii Felicis Octavius, Macrobius Lib. 2. cap. 10. in Somnium Scipionis. Quod Stoicorum dogma clarius Porphyrius in de Antro Nympharum his expreſſit verbis: Τοῖς δ' ἀπὸ τῆς στοᾶς, ἥλιον μὲν τρέφεσθαι ἐκ τῆς ἀπὸ θαλάσσης ἀναθυμάσεως ἐδόκει· σελήνην δ' ἐκ τῶν πηγαίων καὶ ποταμίων ὑδάτων· τὰ δ' ἄστρα ἀπὸ τῆς ἐκ γῆς ἀναθυμιάσεως. Hoc eſt: *Stoicis placuit, Solem exhalatione maris nutriri: Lunam ea, quæ ex marium fluminumque aquis emittitur: aſtra autem exhalatione terræ.*

XXXVI. Tertia familia erat Peripateticorum. Qvorum princeps exſtitit Ariſtoteles Nicomachi, qvi erat Amyntæ Macedonum regis medicus, ac

Phæ-

Phæſtidis, vel, ut Laërtius ſcribit, Phæſtiadis filius, de gente quidem Macedo, patria vero Stagirita. Qvi cum eſſet annorum decem & ſeptem ab Oraculo Pythico monitus eſt, ut ſe ſtudiis philoſophiæ daret, Athenas conceſſit, ubi Socratem per tres annos audivit: quo e vivis ſublato, ad Platonem jam ſexagenarium acceſſit, apud qvem annis viginti commoratus eſt. Per quod tempus tanta aſſiduitate ſtudiis incubuit, *ὥστε τὸν Πλάτωνα τὸν οἶκον τοῦ Ἀριστοτέλους οἶκον ἀναγνώστου καλεῖν.* ut domum ejus vocitaret Plato domum lectoris, ſicuti ſcribit Ammonius ſive Joannes Philoponus in vita Ariſtotelis. Quin & Plato, ſummus ille, ut ſic dicam, ſapientiæ antiſtes ita excellentem mentis ejus aciem, qva rerum omnium vim naturamque viderat, admiratus eſt, ut *ὁ νοῦς τῆς διατριβῆς*, id eſt mens ſcholæ ab ipſo nominaretur, ut

refert Philoponus Libro de Mundi æternitate. Hinc ſcribit Rhodiginus lib. 29. cap. 8. Platonem dicere ſolitum, cum Ariſtoteles ſcholæ non intereſſet, Philoſophum veritatis abeſſe. Quo grata ejus voluntas erga Platonem illuſtrior ac teſtatior foret, quamvis a ſententia ejus libere ſæpius non obtrectationis ſed veritatis ſtudio diſceſſerit; tamen ei aram cum hac inſcriptione honoris plena, quæ in Epigrammat. Græcis exiſtit, dedicavit:

*βωμὸν Ἀριστοτέλης ἱδρύσατο τόνδε*
*Πλάτωνος,*
*Ἀνδρὸς, ὃν οὔτ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι*
*θέμις.*

*Hanc ſuo Ariſtoteles Platoni dedicat aram,*
*Quem nec, uti laudet, qui malus eſt, meruit.*

Scripta ſua, quæ diſcipulis tradebat, in *ἀκροαματικὰ* & *ἐξωτερικὰ* dividebat.

bat. Ἀκροαματικὰ ea cenſebantur, in quibus Philoſophia remotior ſubtiliorque docebatur. Hinc Plutarchus in Alexandro, Acroamatica τὰς ἀπορρήτους καὶ βαθυτέρας διδασκαλίας, ſecretiores & profundiores diſciplinas appellat, atque alio nomine ἐποπτικὰ dici notat, quaſi non niſi a paucis viſa, &c. quæ ſolis γνησίοις ἀκροαταῖς communicabantur. Ad quam diſciplinam, cui exercendæ datum erat tempus in Lyceo matutinum, illi tantum ſunt ab eo admiſſi, quorum ante ingenium atque in diſcendo ſtudium ſibi exploratum habuit. Ἐξωτερικὰ vocabantur, quæ ad Rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumque rerum notitiam conducebant, ut tradit Gellius Lib. 20. cap. 5. Ex quibus verbis obiter notandum eſt Gellium negare libros Ethicorum & Politicorum eſſe acroamaticos: ſed quo jure, non li-

 qvet:

quet: cum in illis Ariſtoteles Philoſophiam moralem exquiſitis demonſtrationibus, quantum rei natura patitur, perſequatur, ac in illis ſæpe lectorem ad exoterica rejiciat. Legatur Nunneſius in de recte conficiendo Peripateticæ philoſophiæ curriculo Cap. 1. Quæ *ἐξωτερικὰ* Clemens Alexandrinus Stromat. Lib. 5. *κοινὰ* vocat, ac opponit ipſis *ἐσωτερικά.* Quam ob cauſſam Moſellanus ad Gellium, ſupra citato loco, ea vult dici quaſi præter auditum nota, voce a particula *ἐξ* & *παρὰ τὰ ὦτα* deducta. Alio nomine dicebantur *ἐγκύκλια*, ſive vulgata. Adeatur Meibomius in Jusjurandum Hippocratis cap. 11. Quare merito Joannes Sepulveda, cum in notis ad Ariſtotelis Lib. 7. Polit. cap. 1. *τὸ ἐξωτερικὸν* interpretetur aliud, ajens Ariſtotelem, quando libros citat *ἐξωτερικοὺς*, intelligere libros a re præſenti alios, ſive alia

de

de re ſcriptos, quam de qua ibi agit, reprehenditur ab Oberto Giphanio in Comment. ad Ariſtotelis Polit. Lib. 7. cap. 1. qui, ſi ita placet, dicto loco videatur. Ariſtoteles tam excellentis ingenii erat, ut omnes philoſophiæ partes abſolverit, ac in ſingulas præcepta dederit. Præ ceteris vero ſic rationalem in jus redegit ſuum, ut a poſſeſſione illius videatur omnes alios excluſiſſe: Nam in Logica præcepta diſputandi a rebus ipſis, de quibus diſputatur, ſejunxit, & demonſtrandi viam ac rationem docuit. Hanc, quæ generali nomine totam notat diſciplinam, quæ ratiocinari docet, in duas diviſit partes, ut veterum Peripateticorum ſententia eſt, unam, Ἀναλυτικὴν ſive Ἀποδεικτικὴν, quæ occupata eſt in propriis ac neceſſariis, ipſaque demonſtratione; alteram τοπικὴν ſive διαλεκτικὴν, quæ in communi ac probabili verſatur.

Analyticæ attribuit quatuor libros, duos de Syllogiſmo, ac totidem de Demonſtratione: Topicæ aſſignavit novem libros, octo Topicorum, atque unum Elenchorum. His duabus ab antiquis Peripateticis tertia nempe *ϛοιχειωτικὴ* ſive elementaria adjecta eſt; ſic dicta, quod *ϛοιχεῖα*, ſive elementa Logicæ comprehenderet. Cui duæ partes tributæ ſunt: una *περὶ κατηγοριῶν*. De quibus in prima philoſophia agitur, ut res ſignificatæ ſunt, non quatenus voces, quæ res ipſas ſignificant. Altera *περὶ ἑρμηνείας*. Sunt quidam, qui exiſtiment Topicam partem Analyticam præcedere oportere, propterea quod Inventio antecedit Judicium: Verum in hoc magnopere ab Ariſtotele diſcedunt ſive diſſentiunt, cum nunquam Logicam in Inventionem ac Judicium partitus ſit, quamvis M. Tullius, quo nihil unquam politius fuerat, hanc divi-

diviſionem Ariſtoteli in Topicis aſſignarit, ita dicto loco loqvens: *Cum omnis ratio diligens diſſerendi duas habeat partes, unam inveniendi, alteram judicandi; utriusque princeps, ut mihi quidem videtur, Ariſtoteles fuit.* Hac de re conſulantur Gerardus Voſſius Libr. de Logices Natura ac Conſtitutione, cap. 9. l. 5. ac Werenberg Theoremate Exercitat. Logicar. ſecundæ 15. E Topicis, quorum jam in ſcholis exigua eſt exercitatio, Ariſtoteles Rhetoricæ, cui nomen vis eloquendi dedit, plurima adjumenta atque ornamenta ſubminiſtravit, ac ea ita diſcipulos ſuos docuit, ac in illis exercuit, ut in quavis re inſtructiſſimi & eloquentiſſimi eſſent. Propter quam facultatem M. Tullius Academ. Quæſt. Lib. 2. Ariſtotelem vocat *flumen Orationis aureum.* Qui & ingenue profitetur ſe Topica ipſius magnam partem in Inventione

Rhetorica ſeqvutum eſſe. Cœpit quippe Ariſtoteles, Iſocrate jam ſeniore, ut tradit Quinctilianus Inſtit. Orat. Lib. 3. cap. 1 pomeridianis ſcholis artem Oratoriam præcipere, verſu hoc ex Philoctete frequenter uſus: *Αἰσχρὸν σιωπᾷν μὲν καὶ Ἰσοκράτην ἐᾷν λέγειν.* Turpe eſſe tacere, & Iſocratem pati dicere. Quo etiam alluſit Plutarchus adverſus Coloten Epicureum, cum dixit: *οὐ μόνον αἰσχρὸν σιωπᾷν, ἀλλ' οὐδὲ ὅσιον.* Cum his conferatur Cic. 3. de Oratore, ac ad Atticum Lib. 6. Epiſt. 8. Alexandri Magni amicitia ita uſus eſt, ut, quod ſane pulcrum ac magna laude dignum eſt, quantum gratia apud eum valuerit, id aliorum commodis & publice & privatim expertus ſit. Quod multis privatim benefecerit, teſtantur miſſæ ab eo Epiſtolæ ad Regem commendatitiæ, quæ omnes pæne non ſine magno Reip. litterariæ damno perie-

rierunt. Publice vero adeo valenter pro ſalute civitatis ſuæ Stagiræ incubuit, ut eam a Philippo Alexandri patre ſtratam atque everſam Alexandri familiaritate reſtituerit. De qua re legendi Val. Max. Lib. 5. cap. 6. Plinius Lib. 7. cap. 29. Plutarchus in Alexandro. Ælianus Lib. 3. V. H. cap 17. Laërtius in Ariſtotele. Illum ſubitæ Alexandri mortis conſcium fuiſſe, quod venenum, quo Alexander interiit, confecerit, ac Antipatro tradiderit, ſunt, qui memoriæ produnt. In qua ſententia & Plinius fuiſſe videtur, cum ita ſcribit Lib. 30. cap. 16. Ungulas tantum mularum repertas, neque aliam ullam materiam, quæ non perroderetur a veneno ſtygis aquæ, cum id dandum Alexandro Magno Antipater mitteret, memoria dignum eſt, magna Ariſtotelis infamia excogitatum. Hinc Antoninus Caracallus omnia Ariſtotelis ſcri-

ſcripta voluit abolere ac excidere, quia perſvaſus erat Alexandrum Magnum, cujus in omnibus ſimia videri cupiebat, veneno ab Ariſtotele præparato fuiſſe interfectum, ut narrat Xiphilinus e Dione in vita Caracalli. Plutarchus vero in Alexandro licet opinionem illam veneni ab Antipatro miſſi, & ab Ariſtotele excogitati Antigoni regis teſtimonio confirmare videatur; attamen ſuſpicionem veneni hoc argumento dimovet ac tollit, quod, mortuo Alexandro, nulla exercitui veneni ſuſpicio injecta fuerit; neque tot diebus, quibus inter principes de ſucceſſore Alexandri, præſente ejus corpore, diſceptatum eſt, aliquis livor in locis illis fervidis ac æſtuoſis, aliudve veneni indicium in corpore repertum ſit. Alexandro vita defuncto, cum vel ab Athenienſibus quibusdam, facta in illum conſpiratione, accuſaretur, quod

ἀσε-

*ἀσεβὴς* eſſet *διά ἵνα δόγματα τῆς φιλοσοφίας αὐτοῦ, ἃ ἐνόμιζον εἶναι ἀσεβῆ*, ut tradit Origenes Lib. 1. contra Celſum, vel ab Evrymedonte hierophanta Cereris, ut ſcribit Laërtius, aut a Demophilo, ut memoriæ reliquit Phavorinus, quod hymno, qui honos divino tantum Numini debebatur, ſive ille *Παιὰν* eſſet, ut vult Laërtius, ſive *σκολιὸν μέλος*, ut diſſerit Athenæus Deipnoſoph. Lib. 15. cap. 16. Hermiam tyrannum Atarnenſium cohoneſtarit, verens ne ab illis ad ſupremum ſupplicium raperetur, relicta ſchola Athenienſi, profectus eſt Chalcidem, quæ erat urbs maritima Eubœæ inſulæ ad Euripum ſitæ, ac dixit Athenienſibus: *οὐκ ἐάσω ὑμᾶς δὶς εἰς φιλοσοφίαν ἁμαρτεῖν.* Non concedam vobis, ut bis in philoſophiam peccetis. Nam prius Socratem interfecerat. Adeatur Philoponus in vita Ariſtotelis. Qui cum

jam

jam propter aſſiduas vigilias & nunquam intermiſſa litterarum ſtudia corpore ægro ac ſpe vitæ tenui eſſet, ad eum acceſſere ſectatores ejus illum obſecrantes, ut loci ſui ſucceſſorem ante ultimum diem ipſe deligeret, ne litteræ ac Philoſophia in illo aliquod periculum adirent; proinde ut illorum petitioni faceret ſatis, juſſit ſibi vinum exoticum vel Rhodium vel Lesbium adferri. Adlatum cum guſtaſſet, utrumque oppido bonum eſſe dixit, ſed Lesbium ſvavius. Quo facto lepide ſimul & verecunde ſignificavit primum locum inter diſcipulos ſuos Theophraſto, ſecundum Menedemo, adſignandum eſſe, vel, ut alii volunt, Eudemo. Erat enim e Lesbo Theophraſtus, e Rhodo autem Menedemus, ut refert Gellius Lib. 13. cap. 5.

XXXVII. Jam paucis, antequam ad reliqua digredior, de cauſſis ſcriptorum Ari-

Ariſtotelis obſcuritatis dicendum eſt. Tres ante Ariſtotelem erant rationes obſcurandæ philoſophiæ: una poëtarum, ut Orphei & Homeri, qui quibusdam fabularum figmentis res divinas, & naturales involutas cecinere, ne omnibus faciles eſſent acceſſu: altera Pythagoreorum, qui ænigmatis, ſymbolis ac numeris, & figuris Mathematicis obſcuriſſimis a ſua familia imperitum vulgus rejecerunt. Nam philoſophi τὰ ἀπόῤῥητα ἐκάλυπτον ἀσαφείᾳ, καθάπερ οἱ ποιηταὶ τοῖς μύθοις. Philoſophi arcana ſua involvebant obſcuritate ſermonis, ut poëtæ fabulis: id quod ſcribit Eunapius in Vita Porphyrii. Quia ſciebant naturæ apertam nudamque expoſitionem ſui eſſe inimicam. Quæ ſicut vulgaribus hominum ſenſibus intellectum ſui, ut ait Aurel. Macrobius Lib. 1. cap. 2. in Somnium Scipionis, vario rerum tegmine operimen-

mentoque ſubtraxit: Ita a prudentibus arcana ſua voluit per fabuloſa tractari. Sic ipſa myſteria figurarum cuniculis operiuntur; ne vel hæc adeptis nuda rerum talium ſe natura præbeat: ſed ſummatibus tantum viris, ſapientia interprete, veri arcani conſciis, contenti ſint reliqui ad venerationem figuris defendentibus a vilitate ſecretam. Quod ſciendi genus primi hominum poſt Hebræos Ægyptii videntur impenſius excoluiſſe. Videantur Clemens Alexandrinus Lib. 5. Stromat. Lilius Gyraldus ad Symbola Pythagoræ, Cauſſinus de Symbolica Ægyptiorum doctrina, Spizelius de Re Literaria Sinenſium Commentario, Sect. 5. Tertia erat Heracliti; qui cum de induſtria obſcuritatem affectaret, σκοτεινὸς nominatus eſt, ac ab omnibus improbatus. Ariſtoteles, quem Qvinctilianus Inſtit. Orat. Lib. 10. cap. 1. dubitat, an ſci-

ſcientia rerum, an ſcriptorum copia, an eloquendi ſvavitate, an inventionum acumine, an varietate operum clariorem putet, non Symbolis, nec numeris, neqve figuris, ſed ſingulari verborum proprietate ita philoſophiam dicendo obſcuram reddidit, ut Græci interpretes illum Sphinga nominarint. Nam decreta ſua philoſophica aliter foras edidit, quam eſſent domi tradita. Hinc Alexandro Magno, cum illum acriter ac ſevere, qvod eas diſciplinas, quibus ipſe ceteris anteire cupiebat, divulgasſet, reprehenderet, reſpondebat ſe quidem edidiſſe acroamatica, ſed iis ſolum, qui ab illo eadem iſta audierint, cognoſcibilia eſſe; atque ita edita, ac ſi edita non eſſent. Conſulantur Plutarchus in Alexandro ac Aulus Gellius Lib. 20. cap. 5. Qvæ obſcuritas non vitio aut reprehenſioni ei vertenda eſt, ſed magnæ ejus prudentiæ tribuenda,

qvum conſulto id egerit, cum ut lectores redderet ingenioſiores, tum ut inertes ſegnesque auditores removeret. Præter hoc maxima obſcuritatis cauſſa eſt Græci textus varietas: quæ hinc nata eſt, ut a Strabone Lib. 13. ac Plutarcho in Sulla narratur: Ariſtoteles jam moriens bibliothecam ſuam Theophraſto auditori ſuo dedit: hic Neleo Scepſio Socratico Coriſci Socratici filio, qui Ariſtotelis ac Theophraſti diſcipulus erat, tradidit. Hic libros Scepſin translatos poſteris ſuis reliquit, a cujus herede ad rudes & inertes homines pervenerunt, qui libros incluſos ac negligenter poſitos habebant; cumqve Attalicorum regum, quibus Scepſis ſubjecta erat, ſtudium intellexiſſent conqvirendorum librorum ad inſtruendam Pergami bibliothecam, eos in foſſa quadam ſub terra occuluerunt: qvos partim tineis, partim ſitu corruptos,

ptos, qui ea ex ſtirpe erant, Apelliconi Tejo grandi pecunia vendiderunt. Apellicon librorum quam ſapientiæ cupidior, cum hos emendare vellet, mutilos ac multis in locis mendis plenos in lucem emiſit. Deinde, expugnatis Athenis, Romam a Sulla ex antiqva Scipionum familia oriundo (de quo dubitabatur fortior an felicior eſſet: qvi Remp. Romanam poſtea tamen oppreſſit ac a pediculis abſumtus eſt) bibliotheca Apelliconis translata ſive deportata eſt. Quam Tyrannion Grammaticus, cum Ariſtotelis ſtudioſiſſimus eſſet, in ordinem digeſſit, & Andronicus Rhodius multa ejus exemplaria in medium protulit ſive publicavit, ſed a librariis, ut vulgo fieri ſolet, corrupta ac depravata. Unde varietas exemplarium magnam adtulit perturbationem, eſſent ne hi libri Ariſtotelis, qui illius nomine circumferuntur, an a

ſectatore aliquo ex illius libris congeſti. Ceterum ante Apelliconis Teji ac Rhodii tempora non fuiſſe opera Ariſtotelis publicata teſtantur tum jam dicta ſive adlata, tum quoque non tantum Strabo libro ſupra citato, verum etiam Plutarchus ita in Sulla ſcribens: *οἱ δ᾽ πρεσβύτεροι περιπατητικοὶ φαίνονται μὲν καθ᾽ ἑαυτοὺς γενόμενοι χαρίεντες καὶ φιλολόγοι, τῶν δ᾽ Ἀριστοτέλους καὶ Θεοφράστου γραμμάτων οὔτε πολλοῖς οὔτε ἀκριβῶς ἐντετυχηκότες, διὰ τὸν Νηλέως τοῦ Σκηψίου κληρονόμον, ᾧ τὰ βιβλία κατέλιπε Θεόφραστος, εἰς ἀφιλοτίμους καὶ ἰδιώτας ἀνθρώπους περιγενέσθαι.* Peripatetici antiquiores videntur illi quidem elegantes fuiſſe & eruditi, ſed Ariſtotelis ſcripta neque pleraque neque exacte volviſſe, verum ob heredem Nelei Scepſii, cui libros ſuos reliquit Theophraſtus, ea ad inertes homines recidiſſe atque indoctos.

XXXVIII.

XXXVIII. His tribus nobilioribus Philoſophorum familiis adjicitur Secta Epicureorum, quæ tempore fere Stoicorum exorta eſt. Cujus fundator erat Leucippus, a quo informatus Democritus iisdem præceptis Epicurum imbuit, in quem omnis vanitas de Leucippi fonte profluxit. Quippe Epicurus ſtudio ſcilicet inveniendi nova, ut nomini ſuo conſtitueret diſciplinam, quia nihil novi potuit reperire, ut tamen diſſentire a ceteris videretur, vetera voluit evertere: in quo illum circumlatrantes philoſophi omnes coarguerunt, ut docet Lactantius Lib. 2. cap. 8. Dogma Epicuri quidam impium eſſe ſtatuunt, cum mundum ex atomis compoſuerit, felicitatem in voluptate poſuerit (quam tamen, teſte Gellio Lib. 9. Cap. 5. ita definivit: *σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα*) ac nullos Deos eſſe ſenſerit omnem motum, omne

officium eis adimendo. Legantur Cicero Lib. 1. de Natura Deorum ac Lactantius in de ira Dei, cap. 4. Alii ejus doctrinam mitigant, & ipſam ſectam excuſant. Hinc Petronius Arbiter Epicurum vocat patrem veri, id eſt, veræ juſtæque rationis, & diſciplinæ inſtitutorem, ut patet ex his ejus verſibus:

*Ipſe pater veri, doctus Epicurus, in arce*
*Juſſit, & hanc vitam dixit habere Deos.*

Legatur Georgius Erhardus Francus, in Symbolis Annotationum & Obſervationum in hos verſus. Nec aliter de Epicuro ſentit Lucianus, cum in Pſeudomanti eum nominet ἄνδρα ὡς ἀληθῶς ἱερὸν, καὶ θεσπέσιον τὴν φύσιν, καὶ μόνον μετ' ἀληθείας τὰ καλὰ ἐγνωκότα καὶ παραδεδωκότα. Id eſt: *Virum vere ſacrum, ingenioque divino, quique ſolus, quæ vere ſunt honeſta,*

&

*& noverit & tradiderit*. Verum cum manifeſte errarit de Deo ac providentia, ut nihil jam dicam de mundo, fine hominis, anima, merito a doctioribus cenſetur nec ſapiens fuiſſe nec ſanus. Putabat enim Deos res humanas non curare, ſed otioſos reſidere in cœlis, valde occupatos in nihil agendo. Unde ab Epicureis ſalſe ridentur ſuperſtitioſi, qui Deorum timore tanquam pueri nocturnis terriculamentis & occurſaculis afficiantur. Providentiam divinam cum negarit, re ipſa Deos tollebat. Nam quæ major & quæ dignior adminiſtratio Deo adſignari poteſt, quam mundi gubernatio, quam cura viventium, maximeque generis humani, cui omnia terrena ſubjecta ſunt? Hujus diſciplina ſectatorum multitudine ceteris omnibus ſectis longiſſime antecellebat: non quia veri aliquid attulerit, ſed quia multos ad populare nomen

voluptatis invitarit. Nemo enim non in vitia pronus eſt. Videatur Lactantius Lib. 3. cap. 17. Laërtius, ut ex multis ejus locis liquet, Epicuro erat addictior. Epicurus & qvi ejus ſectam ſecuti ſunt, cum everterent, ut ſupra dictum eſt, providentiam, quæ rebus omnibus conſulat, inter illos & Stoicos rebus magis acutos, quam oratione magnificos pugna quædam graviſſima exorta eſt, qui Epicuri ſectæ aſſenſores ac ſectatores acerrime retuderunt, dicentes nec fieri mundum ſine divina ratione potuiſſe; nec conſtare, niſi ſumma ratione regeretur. De qua re legendi ſunt Quinctil. Inſtitut. Orat. Lib. 5. cap. 7. Lactantius Lib. 1. cap. 2. Inter plurimos doctrinæ ejus defenſores ex antiquis primas tenuit Lucretius Romanus, qui poëmate multis ingenii luminibus lito Epicuri diſciplinam, quæ ad rerum naturam pertinet, diligenter ex-

expoſuit. In illo & hoc notandum eſt, quod primus inter privatos homines Athenis hortum ſibi cultura paraverit, ut liquet ex Plinio Lib. 19. cap. 4. ita ſcribente: *Jam quidam hortorum nomine in ipſa urbe delicias, agros, villasque posſident. Primus hoc inſtituit Athenis Epicurus otii magiſter. Usque ad eum, moris non fuerat in oppidis habitari rura.* Qui plura de Epicuro cognoſcere cupit, adeat Diogenem Laërtium, in ejus vita, Lib. 10. Meurſium Athen. Attic. Lib. 3. cap. 10. Hornium Hiſtoriæ Philoſophicæ Lib. 3. cap. 17. ac Præloqvium Gatakeri ad Marcum Antoninum.

XXXIX. Quæ ſectæ in hoc convenere, nempe duo æterna eſſe, Deum & materiam, ita quidem, ut neutrum horum ſit alterius cauſſa procreatrix, cum hoc tamen diſcrimine, quod Deus ſola cogitatione concipiatur, materia ſenſi-

bus ſubjiciatur, ille rationis compos, hæc impos. Hinc Deum boni omnis, materiam cujusvis mali principium fecerunt. Ceterum cum rationem voluntas, hanc libertas ut individua comes ſequatur, materiæ neceſſitatem maximam adtribuebant, Deo libertatem tanto minorem quæque, quanto arctiori vinculo eam cum materia connecteret. Plato Deum maxime liberum eſſe ſtatuit, cum mundum ex libero Dei cum materia congreſſu extitiſſe dixerit. Quod Ariſtoteles & Stoici negaverunt (ut prætereatur Epicurus, qui mundum absque Dei interventu ortum eſſe putavit) aſſerentes illum congreſſum Deo inevitabilem fuiſſe. Unde Plato mundum ab æterno exſtitiſſe negare potuit, hi non, cum illum a Deo non facultate agendi libera, ſed neceſſitate naturali conditum fuiſſe cenſuerint. Plato vero, qui hic alioquin

quin inter principes reliquarum ſecta-rum optime philoſophatus eſt, cum ſtatueret Deum cauſſam mundi vo-luntariam, maximis intervallis eum a materia excluſit; at minimis Ariſtote-les, cum aſſereret Deum mundum ex neceſſitate produxiſſe; Stoici autem nullis, cum fati vinculis eum irretirent; proinde Deus Platonicus maxime li-ber, Ariſtotelicus paullo liberior, Stoi-cus minime liber eſt. Epicurus his o-mnibus contrarius mundum ſua ſpon-te, ſeminibus inter ſe paſſim coëunti-bus, natum eſſe dixit. Nec mirum, quod hæ ſectæ ita inter ſe diſſenſerint, cum fundamento, quod divinarum vocum oraculis fulcitur, caruerint. Cu-pidum hujus rei lectorem remitto ad Thomaſii Diſſertationem ſecundam ad Stoicæ Philoſophiæ & ceteram phi-loſophicam Hiſtoriam. Stilo quoque hæ ſectæ inter ſe differebant. Plato ge-

nus

nus dicendi uber, amplum ac magnificum ſecutus eſt, quod ad inſtar hibernarum nivium aut torrentis lectores rapit. Hinc Quinctiliano Inſtit. Orat. Lib. 10. cap. 1. videtur non hominis ingenio, ſed quodam Delphico oraculo inſtinctus. Ariſtoteles uſus eſt oratione ornata ac concinna quidem, ſed nervoſa ac ſtricta, quæ proxime ad obſcurum dicendi genus accederet. Stoici orationi minus indulſere, modeſta & ſobria oratione non tamen ſine nervis & viribus contenti. Epicurus, ut ſcribit A. Gellius Lib. 2. cap. 9. curas vocum verborumque elegantias non modo non ſectatus eſt, ſed etiam inſectatus. De his & aliis legi poteſt Quinctilianus Lib. 12. cap. 2.

XL. Per idem tempus, quo ſectæ & earum conditores floruerunt, Hiſtoria, quæ primis temporibus omnibus dicendi ornamentis carebat, cum in nudis

dis temporum, hominum, locorum rerumque geſtarum monumentis conſiſteret, ita exculta eſt, ut ad clariſſimum perfectionis lumen ſub ductu & auſpicio Herodoti, Thucydidis ac Xenophontis exceſſerit. Multi qvidem alii, quos vide apud Voſſium de Hiſtoricis Græcis Lib.1. cap.1. & 2. ante Herodotum Hiſtorias ſcripſere; verum cum illorum ſcripta perierint, antiquiſſimus itaque ex Hiſtoricis Græcis, qui hodie exſtant, eſt Herodotus Halicarnaſſenſis. Unde Hiſtoriæ parens dicitur. Vixit ſub tribus Perſarum Regibus, Dario Hyſtaſpis filio, Xerxe ac Artaxerxe Longimano; & Hiſtoriam ſuam, in qua propria ac naturalis lingvæ Ionicæ dictio cum elegantiſſima orationum munditie ac concinnitate illarum numeroſa maxime elucet, novem libris complexus eſt, quos Muſarum nominibus inſcripſit. Thucydidem, qui 13. annis

annis Herodoto junior erat, ut e Pamphilæ Lib. 11. oſtendit Gellius Lib. 15. c. 23. ad ſcribendum excitavit Herodotus. Hunc enim Hiſtorias a ſe memoriæ proditas, cum Olympiæ, in conventu totius Græciæ, recitantem vel potius ᾄδοντα, ut habet Lucianus tomo 3. in Herodoto, non ſine ſummo omnium favore ac applauſu audiret, tanta cura Hiſtoriam belli Peloponneſiorum cum Athenienſibus condendam adgreſſus eſt, ut omnes dicendi artificio facile vicerit. Quippe verbis ita aptus & preſſus, ut neſcias, utrum res oratione, an verba ſententiis illuſtrentur. Vide Ciceronem Lib. 2. de Oratore. Hujus collationem cum Herodoto legas apud Dionyſium Halicarnaſſ. in Reſp. de Præcipuis Hiſtor. Fabiumqve Lib. 10. c. 1. Qvi propter Atticam eloqvendi venuſtatem, cujus norma erat, tanti a Demoſthene æſtimabatur, ut octies illum

lum manu ſua deſcripſerit. Cujus rei meminit præter alios Lucianus tom. 2. πρὸς Ἀπαίδευτον. Xenophon, qui ætati Thucydidis proximus erat, ob incredibilem ſermonis ſvavitatem ac facilitatem dictus Muſa Attica, ut refert Diogenes Laërtius in ejus vita. Hinc, qvod dictio ejus cum ſumma lenitate flueret, feruntur Muſæ ore ejus locutæ. Adi ſis Qvinctil. Inſtit. Orat. lib. 10. c. 1. Inter multa egregia ejus ſcripta, qvæ a Diogene aliisqve recenſentur, maxime commendatur Cyri vita ac diſciplina octo libris comprehenſa, qvi non ad Hiſtoriæ fidem, ut qvidam rentur, ſcripti, ſed ad effigiem juſti imperii, ut recte monet Cicero in Epiſtola vere principe ad Q. fratrem. Eapſe de cauſa, nempe qvod nullum in illis officium diligentis ac moderati imperii eſſet, prætermiſſum, dicitur Africanus illos nunqvam de manibus poſuiſſe. Qvi

non

non tantum Hiſtoriarum monumentis a ſe conditis, verum etiam ſtudio Philoſophiæ, in qva Socratem ad ungvem imitatus eſt, ac virtute bellica inſignis illuſtrisqve erat.

XLI. Hoc temporis tractu, oratio perfectumqve proſæ eloqventiæ decus ſub decem oratoribus, qvos ſimul Athenis ætas una tulit, erupit. Qvibus Demoſthenes in oratoria longe anteſtabat. Sunt enim in illo omnia denſa ac nervis intenta. In ſumma, in eo is dicendi modus, ut, nec qvod deſit in eo, nec qvod redundet, inveniatur. Itaqve optimo dicendi magiſtro Qvinctiliano Inſtit. Orat. Lib. 10. cap. 1. nominatur Lex dicendi; ac Leoſtheni apud Lucianum in Encomio Demoſthenis ſolus ex omni oratorum numero viſus ἔμψυχον οὐ σφυρήλατον λόγον, id eſt, vivam orationem non fabricatam malleo habuiſſe. In qvo tantum

tum

tum ſtudium tantusqve labor fuiſſe dicitur, ut, cum litteram ῥῶ, ob balbutiem vel lingvæ hæſitantiam dicere neqviret, tanta diligentia oris ſui vitium expugnavit, ut ea a nullo planius efferretur. Quod narrat, qui primus in toga triumphum lingvæque lauream meruit, nempe Cicero facundiæ ac Latinarum litterarum parens Lib. 1. de Oratore, item Lib. 2. de Divinatione. Et Valerius Maximus Lib. 8. cap. 7. Qvi etiam, ut memoriæ proditum eſt a Cicerone Lib. 1. de Oratore ac Plutarcho in Demoſthene, nimiam vocis ſuæ exilitatem auditu acerbam, conjectis in os calculis, ſumma voce verſus multos uno ſpiritu pronuntians ad gratum auribus ſonum perduxit, non ſtans, ſed adverſa loca alacri gradu ſcandens. Sic alterum Demoſthenem mater, alterum induſtria enixa eſt. Qvi Demoſthenes ortu Scytha erat. Nam avus

ejus maternus Gylo, cum Athenis ἐπὶ προδοσίας ἐγκλήματι, ut ex Æſchine oſtendit Libanius Rhetor, exularet, & circa Pontum habitaret, mulierem duxit Scythicam, ac ex ea genuit Cleobulam Demoſthenis matrem. De qvo & Cicerone ita ſcribit Plutarchus in Vita Demoſthenis: Δύο γὰρ ἑτέρους οὐκ ἂν εὑρεθῆναι δοκῶ ῥήτορας, ἐκ μὲν ἀδόξων καὶ μικρῶν ἰσχυροὺς καὶ μεγάλους γενομένους, προσκρούσαντας δὲ βασιλεῦσι καὶ τυράννοις, θυγατέρας δ' ἀποβαλόντας, ἐκπεσόντας δὲ τῆς πατρίδος, κατελθόντας δὲ μετὰ τιμῆς, ἀποδράντας δ' αὖθις, καὶ ληφθέντας ὑπὸ τῶν πολεμίων· ἅμα δὲ παυσαμένῃ τῇ τῶν πολιτῶν ἐλευθερίᾳ τὸν βίον συγκαταστρέψαντας. Hoc eſt: *Haud enim duos reperiri oratores arbitror alios, qui ex obſcuris & parvis potentes & magni evaſerint, Regibus & tyrannis ſe objecerint, filias amiſerint,*

*pa-*

*patria extorres redierint honorifice, iterum profugerint, & in manus inciderint hoſtium, vitam præterea cum exſpirante depoſuerint Patriæ libertate.* Cum his conferatur Cauſſinus de Veteri Eloqventia Lib. 1. cap. 62. 63. 64. 65. 66. 67. Secundas poſt Demoſthenem Iſocrates inter decem illos inclutos oratores, ob miram ſermonis dulcedinem, & compoſitionem numeris ad ornatum apprime adſtrictam occupavit. Hic enim verba prius libera ſub numeros ire primus coëgit, ut refert Macrobius Lib. 7. Saturnal. cap. 1. Sepulcro, qvod in diverſo genere eloqvendi eſſet nitidus, ac numeri obſervantisſimus, Siren cantantis ſpeciem præ ſe ferens inſculpta eſt, ut Philoſtratus in ejus vita prodit. Ex cujus ſchola tanqvam ex eqvo Trojano innumeri magni viri exierunt, qvorum alii cauſſis forenſibus inſigniter clari erant,

alii publicis cauſſis & adminiſtratione Reipublicæ. Nam domus ejus cunctæ Græciæ qvaſi ludus qvidam atqve officina dicendi patuit. Ille, qvamvis ob vocis imbecillitatem & ingenii verecundiam forenſi luce claruerit; tamen intra domeſticos parietes eam aluit gloriam, qvam rari ex iis, qvi in ſolem certamenqve prodierunt, adepti ſunt. Conſulantur Cicero Lib.2. de Oratore, Dionyſius Halicarnaſſenſis de Antiqvis Oratoribus, Svidas & alii.

XLII. Muretus magnus ille litterarum cenſor Variar. Lect. lib.1. cap.1. aſſerere nititur graviſſimis verbis ac præceptis ſapientiſſimis refertæ Orationis illius, qvæ Parænefis ad Demonicum inſcribitur, non hunc Iſocratem, qvi Socratis & Platonis æqvalis erat, fuiſſe auctorem, verum alium qvendam, qvi circa Ciceronis tempora floruit, hoc probans ex Dionyſio Halicarnaſſ.

qvi

qvi in aureolo libello de arte Rhetorica ἐν μεθόδῳ προσφωνηματικῶν, qvendam ex ea Paræneſi locum citans Iſocratem ipſius auctorem, ſuum & Echecratis, ad qvem ſcribit, ſodalem vocat. Dionyſii verba dicto loco ſunt hæc: Ἰσοκράτης μὲν, ὁ σὸς ἑταῖρος, καὶ ἐμὸς, ὦ Ἐχέκρατες &c. At ἑταῖρος hoc in loco non per ſodalem, ut vult Muretus, reddi debet, ſed per amicum; qvod monet Cotelerius ad Chryſoſtomum in Danielem, ut ſcribit Colomeſius in κειμηλ. Liter. cap. 9. Cum jam non ſolum amicus is eſt, qvi eadem nobiſcum ætate vitam degit, ſed etiam, qvi longo ante nos tempore vixit; proinde non dubitandum eſt, qvin hac mente Dionyſius Iſocratem, ſuum & Echecratis amicum appellarit. Ac ita in eo loco non de alio Iſocrate prætèrqvam de celeberrimo illo, cujus mentio ſupra a me injecta eſt, agi. Qvam

ſententiam Paulus Colomeſius ſupra adducto loco confirmat his Ciceronis verbis, qvæ in Epiſtolis ad Atticum lib. 2. Epiſt. 16. leguntur: *Nunc prorſus hoc ſtatui, ut, quoniam tanta controverſia eſt Dicæarcho familiari tuo, cum Theophraſto amico meo, ut ille tuus τ̃ πρακτικὸν βίον longe omnibus anteponat; hic autem τ̃ θεωρητικὸν, utrique a me mos geſtus eſſe videatur.* Qvis vero hinc concludat Dicæarchum & Theophraſtum Ciceronis & Attici tempore vixiſſe?

XLIII. Exſtinctis his, & memoria illorum ſenſim obſcurata, genus illud dicendi, qvod nervis, lacertis ac ſpiritu plenum erat, aliis qvibusdam dicendi generibus mollioribus ac remiſſioribus exortis, una cum naturali nitore evanuit. Primus vero Demetrius Phalereus, qvi ultimus fere erat ex Atticis, qvi dici poſſit Orator, Eloqventiam incli-

clinaſſe ſive inflexiſſe dicitur, cum oratione molli teneraqve uſus ſit, qvo tantum memoriam concinnitatis ſuæ, non cum delectatione aculeos (ut ſcriptum de Pericle) in auditorum animis relinqveret. Videatur Cicero in de Claris Oratoribus.

XLIV. Poſt hos nituere ſeptem nobiles illi poëtæ, qvos Ptolomæus Philadelphus Rex Ægypti incredibili litterarum amore flagrans domi liberaliter fovebat. Qvorum hæc ſunt nomina, prout illa Iſacius Tzezes ſuo in Lycophronis Caſſandram commentario enumerat, Lycophron, Theocritus, Aratus, Nicander, Apollonius, Rhodius, qvi præceptore uſus eſt Callimacho, Grammatico & Poëta, poſt Homerum nulli ſecundo, Philicus, Homerus Junior, Tragicus poëta. Qvi a numero ſtellarum in Tauri ſigno plejas Poëtarum dicti ſunt. Ut enim ſtellæ ſeptem

ptem in ſidere plejados elucent: ita hi in Poëſi fulſerunt. Inter qvos maxime Theocritus Syracuſanus ingenio eminet. Nam in Muſa illa ruſtica & paſtorali plane eſt admirabilis. Qvæ ſuam originem, ut docet Scholiaſtes Theocriti, ducit ab agricolis, qvi Dianam, qvod ſeditionem apud Syracuſanos ortam, qva multi ex illis perierunt, ſedarit atqve reſtinxerit, hymnis ac ruſticis poëmatis celebrantes conſvetudini locum fecerunt. Qvi Theocritus modo Chous modo Chius exiſtimatus eſt. Conſtans tamen opinio illum Syracuſanum fuiſſe; id qvod hoc Epigrammate ipſe teſtatus eſt:

Ἄλλος ὁ χῖος· ἐγὼ δὲ Θεόκριτος
ὃς τάδε γράψα,
εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν εἰμι Συρηκο-
σίων,

υἱὸς

ὑὸς Πραξαγόραο περικλειτῆς τε
Φιλίνης·
μοῦσαν δ' ὀθνείην οὔποτ' ἐφελ-
κυσάμην.

*Alius eſt* (Theocritus) *Chius: ego au-
tem Theocritus, qui hæc ſcripſi,
Unus ex plebe ſum Syracuſana,
Filius Praxagoræ inclytæque Philinæ:
Muſam vero alienam nunquam at-
traxi.*

Alter vero nomine Theocritus, erat philoſophus Chius, qvi a Rege Antigono morte multatus eſt, qvod licentius in illum uno orbatum oculo locutus eſſet. Nam, ut ſcriptum reliqvit Macrobius Saturnal. lib.7. cap.3. cum qvaſi puniendus ad Antigonum raperetur; ſolantibus eum amicis ac ſpem pollicentibus, qvod omnimode clementiam Regis experturus eſſet, ac ad oculos ejus veniens reſponderet; *ergo impoſſibilem mihi dicitis ſpem ſalutis.* Erat

 enim

enim altero captus oculo,ob qvam importunam urbanitatem a Rege occiſus eſt. Sub hac ſeptena ſapientia,ut cum Papinio Statio ex lib. 5. Silvarum, Epicedio in Patrem, in more Græcorum loqvar, poëſis ad tantam perfectionem evecta eſt, ut in ea vix qvidqvam,velut ultima artificis manus deſideraretur.

XLV. Cum eminentiſſima cujusqve profeſſionis ingenia, eodem ferme tempore, in Græcia, auguſtiſſimo illo Muſarum & gratiarum ſacrario vixerint; proinde qvis abunde mirari poteſt, qvod profectu ſimili ad eandem præſtantiam eminentiamqve pervenerint? Cauſſam qvidem cujusqve ſæculi ingeniorum ſimilitudines congregantis hanc adducit terſus ac politus ille auctor Vellejus Lib. 1. cap. 17. qvod ingenia alantur æmulatione, & nunc invidia, nunc admiratione ad imitationem accendantur. Nec abs re: Eſt enim

enim æmulatio mater diligentiæ, virtutum præclararum altrix atqve nutrix. Ex qvo Qvinctilianus Inſtit. Orat. Lib. 1. cap. 2. ait firmiores in litteris profectus alere æmulationem. Deinde animus generoſior atqve excelſior modo rei pulcritudine, modo livore, cum aliqvem ſibi prælatum cernit, cui ſe parem ſentit, ad ſtudia omni impetu excolenda fertur, turpe ducens cedere pari, pulcrum priores conſeqvi. Aſt ſi hanc rem penitius expenderimus, cauſſam aliam inveniemus, nempe arcanam illam ſæculorum vim, qvam Genium nonnulli vocant, qvæ mortalium animos ad certas & deſtinatas vices viribus inconcuſſis propellere ſolet. Qvippe qvædam ætates armis exercitæ; mox omnia in qvietem compoſita; qvædam omni humanitatis cultu ornatæ; qvibusdam homines veluti in barbariem nati, & deinde faciliori-

bus

bus animis manſvefacti, poſt ſæcula aliqvot ad prius ingenium redituri. *Ita ſæpius orbis cultus hominum moribus enituit; ſubſidensque deinde induſtria, velut quadam nube, ſubducta eſt*, ut eleganter pro more ſuo loqvitur Barclajus in Icone animorum. His addatur Diſſertatio Bœcleri de Eloqventia Viri Civilis. Cum Græciæ res florerent, nihil ad eruditionem Græcis defuit. Ea enim in poëtis ſvavitas, ea in philoſophis ingeniorum ſublimitas, ea in Oratoribus eloqventia, ut illam ſibi ſumeret Romana ambitio, qvam imitaretur, non vinceret. Inde in alias terras migrante mutabili illo ſæculorum genio, nulli ipſis Græcis vehementius ad memoriam majorum ingemiſcebant, qvorum clariſſimo in litteris lumine ſpoliati. Ut ſiderum infelices ortus ſunt, cum obliqvo gyro mox occidunt; ita litterarum, niſi durent apud poſte-

ros

ros ac diurnent. Qvare ſæculorum ætatumqve in ſtudiorum regno, ſive litterario orbe diſcrimina, non melius ex alia re, qvam a qvodam occulto ſpiritu hominum ingenia in ſtudia qvamvis profectu diverſiſſima, profectu tamen invicem ſibi qvam ſimillima inflectente diſtinxerimus. Qvod nec in Græcis, qvam in Romanis magis eveniſſe, nemini ex inclutis eorum litterarum monumentis obſcurum eſſe poteſt.

XLVI. In Græcarum litterarum cultu, usqve ad Chriſtum his in terris natum, erant præ ceteris fama celebriori ac doctrina præſtantiori, hi ſupra a me memorati. Haud intempeſtive nunc ſubtexturus videor, ſi dicam, qvam late lingva Græca, qva ſcientiæ omnes primitus ſunt traditæ, & a præſtantiſſimis ingeniis prope conſummatæ, per Orbem terrarum ſit extenſa. Supremum Numen, cum doctrinam ſalutis no-

noſtræ per Chriſtum pretioſiſſimo ſuo ſangvine fœdam peccatorum noſtrorum labem abluentem gratuito factæ per totum terrarum orbem ex æterno divulgare decreviſſet, lingvam Græcam tanqvam inſtrumentum ad hoc aptiſſimum ſibi viſum deſtinavit; qvemadmodum per prophetas patribus in V. Teſtamento Oracula ſua ex altiſſima majeſtatis ſuæ ſede, arcanisqve ſapientiæ divinæ penetralibus, lingva Hebræa, qvæ ab ipſis mundi rerumqve primordiis originem cepit, tanqvam familiari ac domeſtica depromi curavit. Unde non ſubito temeritatis impulſu mens Pilati judicis alioqvin iniqviſſimi concuſſa, qvod Servatoris noſtri cruci pro nobis adfixi titulum his & non aliis lingvis conſignarit. Voluit enim ſalutis noſtræ auctor, ut hæ lingvæ mortis ejus, qva noſtro generi iter ad vitam ſanxit, ad finem usqve

qve mundi teſtes eſſent. Qvod vero Hebraicæ & Græcæ lingva latina adjuncta ſit, id ob hoc factum eſt, nempe ut ſpecimen aliqvod dominationis Romanorum apud gentes ſubditas eſſet. Nam inter cetera obtinendæ gravitatis indicia, hoc qvoqve magna cum conſtantia adſervabant, ne aliis nationibus ſuo imperio ſubjectis niſi Latine reſponſa darent, qvo ſcilicet auctoritas Reip. illorum lingvæ latinæ uſu per omnes gentes diffuſo venerabilior redderetur. Qva ex re Prætores Roma in provincias miſſi jus Latine dicebant. Et hinc illa illorum vocabulorum forenſium ac militarium, qvæ ſermoni Græco in Novo fœdere inſerta reperiuntur, copia. Qvin & cum periculo junctum erat Lingvam Latinam neſciviſſe, ut liqvet ex Svetonio ſcribente Claudium, in ejus vita Cap. 16. ſplendidum virum Græciæqve Provinciæ principem, qvod

Lati-

Latini ſermonis ignarus eſſet, non modo albo Judicum eraſiſſe, ſed etiam in peregrinitatem redegiſſe. Sic cives Romani nec habiti nec cenſiti, qvi Romane non intelligerent ac ſonarent, poſtqvam Romani honorem ſuum agi palam cenſerent in honore ſuæ lingvæ.

XLVII. Qvo igitur Græca lingva longe lateqve per orbem diſpergeretur, ac per illum frugifera ejus ſemina jacerentur, ſupremi rerum arbitri provida cura factum eſt, ut Coloniæ in pleraqve orbis loca ac provincias deducerentur. Antiqviſſima Græcorum Colonia erat illa, qvam Herculis fratris filius Jolaus Thebanus ex Athenienſibus ac Theſpienſibus in Sardiniam deduxit, ut memoriæ a Pauſania in Achaicis proditum eſt. Maxime autem celebres ſunt, qvæ in Aſiam a tribus Græcorum populis, Doribus, Æolibus, Ionibus ſunt deductæ. Dores,

qvi

qui poſt mortem Codri Megara condiderunt, partim in Rhodo inſula, quæ prius, teſte Stephano περὶ πόλεων, Ὀφίουσα & Αἰθρία dicta, ſedes occupavere, in quinque Rhodi urbes disperſi, partim cum Althæmane Argivo in Cretam navigarunt. Conſulantur Herodotus lib. 1. Strabo lib. 14. Æoles late erant diffuſi, omnes enim extra Iſthmum habitantes, exceptis Athenienſibus & Megarenſibus & Parnaſſi accolis Dorienſibus, Æolici appellati. Qvod refert Strabo Lib. 8. Æolicæ Coloniæ longa erat expeditio. Penthilus Oreſtis filius ſub adventum Heraclidarum in Peloponneſum circa Lesbum ſedem cepit. Qvæ inſula a poſteris ejus variis jactatis caſibus, urbibus clariſſimis Smyrna, Cyne, Lariſſa, Myrina Mityleneque inſtructa. Adeantur Herodotus Lib. 1. Strabo Lib. 8. & 13. Pauſanias in Laconicis. Vellejus Lib. 1.

cap. 4. Iones, qui a Ione Xuthi filio, ob virium abundantiam in Peloponneſum emiſſi erant, cum ab Achæis poſt Heraclidarum reditum expulſi eſſent, Athenas redivere, atque inde cum Codridis Ionicam Coloniam in Aſiam deduxere, conſtitutis ibi urbibus 12. ad numerum illarum, qvas in Peloponneſo antea obtinuerant, ut narrat Strabo lib. 8. Quarum urbium hæc ſunt nomina, prout illa ab Æliano V. H. lib. 8. cap. 5. recenſentur: Miletus, Epheſus, Erythræ, Clazomenæ, Priena, Lebedus, Teos, Colophon, Myos, Phocæa, Samos & Chios. Hujus inclutæ ἀποικίας dux erat Codri filius Neleus, & non Ion Xuthi filius, ut ſtatuit Vellejus lib. 1. cap. 4. Nam, ut ſcribit Pauſanias in Achaicis, cum Neleus imperium fratris Medontis, qui primus Archon Athenis erat, negaret ſe Medontem regnare paſſurum, quod pede clau-

claudus eſſet, ac a vate Apollinis, cui res hæc diſceptanda deferebatur, reſponſum eſſet Medonti imperium deberi, Athenis relictis, maximam Ionum manum cum reliquis fratribus, ac illis ex Athenienſibus, qui demigrationis ſocietatem petebant, abduxit. His adde Tertullianum de Pallio c. 2.

XLVIII. In Italiam a Græcis talis ſuſcepta eſt expeditio, ut Italia, magna ejus parte frequentibus Græcorum coloniis occupata, major Græcia nominata ſit. Quam majorem Græciam ſic a Romanis dictam, quod propior ea eſſet illis, quam transmarina Græcia, Græci veteres ſive transmarini vocabant *ἐξωτικὴν ἑλλάδα*, h. e. barbaram ſive exteriorem, ac Græcos Italos *βαρβάρους καὶ ἐξωτικούς*. Quare Meſſenio ſervus, cum apud Plautum in Menæchmis eam appellat Græciam exoticam, ita herum Menæchmum

fratrem ſuum quæritantem adloquens:

*Nam quid modi futurum eſt illum quærere?*
*Hic annus ſextus, poſtquam rei huic operam damus.*
*Iſtros, Hiſpanos, Maſſilienſes, Illyrios,*
*Mare Superum omne, Græciamque exoticam,*
*Oraſque Italicas omneis, qua egreditur mare,*
*Sumus circumvecti.*

Non loquitur ex perſona ſua, erat quippe Siculus, neque vocaſſet conſulto ſe ipſum barbarum; ſed μιμητικῶς ex perſona Græcorum ipſorum, qui Siculos & Calabros appellabant ἕλληνας ἐξωτικούς. Conſulatur Joſephus Scaliger in Caſtigatione ad Feſtum de Verborum ſignificat. Ut & Iſaacus Caſaubonus in Lib. 6. Geographicorum Stra-

Strabonis. In hac magna Græcia multæ ac præclaræ civitates a Græcis exſtructæ ſunt. Quarum maximam partem recenſere lubet, quo pateat, quam late ſe lingva Græca, diſciplinarum omnium mater, antiquiſſimis temporibus, in Italia, quæ inſigne olim veterum oppidorum decus erat, effuderit. In Campaniæ plaga non modo Italia, ſed toto terrarum orbe pulcerrima Dicæarchiam a juſtitia magiſtratuum nomen habentem Samii condidere; quam Romani, deducta eo Colonia, puteolos a puteorum frequentia, vel a putore ſulphureo, quem aquæ tepentes exhalant, vocarunt. Adeatur Strabo Lib. 5. Cumas Chalcidenſes, narrante Vellejo Lib. 1. c. 4. Hippocle & Megaſthene ducibus, conſtituere. Addatur Strabo Lib. 5. a Cumanis Neapolis eſt ædificata. In Lucania Poſidoniam Dorienſes, Hyelam, quæ & Helia

& Elea, & poſtremum Velia nuncupata eſt, Phocæenſes, Temeſen Auſones, Pandoſiam Platæenſes, Ferinam Crotonienſes, Hipponium Locri condiderunt. Legatur Strabo Lib. 6. qui hæc fuſius perſequitur. Proximum Italiæ promontorium Rhegium a ῥήγνυσθαι dictum, quod hic violentia terræ motuum Siciliam ab Italia divulſerit, a Chalcidenſibus excitatum. Ultra promontorium ſunt Locri Epizephyrii, Locrenſium Colonia, ita nominati, ut tradit Stephanus περὶ πόλεων, quod juxta Zephyrum oppidum ſiti ſint, quo differrent ab illis Locris, qui juxta Ætoliam ſunt ac Ozolæ appellantur, ac ab iis, qui juxta Eubœam habitant, qui dicti Epicnemidii, ἀπὸ κνημῖδος ὄρους, a monte Cnemide, ut docet Euſtathius ad Periegeten V. 426. De hac triplici Locrorum diviſione legatur & Pindari Scholiaſtes ad Olymp. 11. Apud Lo-

Locrenſes Epizephyrios inclaruit Zaleucus, qui urbem illorum ſaluberrimis ac utiliſſimis legibus munivit. Inter ejus leges recte commodeque poſitas hæc una erat, ut adultero deprehenſo uterque oculus effoderetur. Cum jam filius ejus adulterii crimine accuſatus pœnam a paterna lege ſtatutam luere deberet, quo debitum ſupplicii modum legi redderet, ipſe pro altero filii oculo ſibi alterum eximi paſſus eſt. Quod præter Valerium Maximum Lib. 6. cap. 5. tradit Ælianus V. H. lib. 13. cap. 24. Caulonia ac Croto non longe Locris diſtantes originem ab Achæis ducunt. Videatur Strabo Lib. 6. Croto, quæ Romanis Crotone dicta eſt, urbs erat claritate ac magnitudine ante omnes urbes in Græcia Majori memorabilis. Cujus ampliſſimam dignitatem auxere Pythagoras ac Milo multis gymnicis palmis illuſtris. De

cujus vitæ exitu miſerando ac mirando legatur Gellius Lib. 15. cap. 16. Adde, ſi ita placet, Valerium Max. lib. 9. cap. 12. TarentumCalabriæ quondam & Apuliæ totiusque Lucaniæ caput opus eſt Lacedæmoniorum. Memorabilem conditæ hujus urbis hiſtoriam apud Pauſaniam in Phocicis legas. Thurium Philoctetes, Metapontum, in cujus Minervæ templo ferramenta, quibus Epeus equum Trojanum fabricavit, adſervata eſſe refert Juſtinus Lib. 20. c. 2. Pylii, qui cum Neſtore ab Ilio navigarunt, condiderunt. Brunduſium Cretenſium, qui e Cnoſſo cum Theſeo diſceſſerunt, erat Colonia, urbs portu incluto; quippe vela in transmarina loca, Epirum, Græciam totam, in Epidamnum, Illyricas & Macedonicas gentes dimittit. Βρεντήσιον, quod Latini Brunduſium, ut dictum eſt, vocant, Strabo Lib. 6. a ſitus, quam habet cum

cor-

cornu cervini figura, ſimilitudine ait eſſe appellatum, cum, ut idem aſſerit, *βρέντιον* Meſſapiorum vocabulo cornu cervinum denotet. Quod & firmatum it Stephanus. Arpi Diomedem, exciſo Ilio, naufragio in ea loca delatum auctorem habent, ut ſcribit Solinus cap. 8. Quid Adriam, quæ Adriatico mari nomen dedit, Sirim, Scyllatium, Piſas & reliquas urbes dicam? legantur Strabo Lib. 6. Juſtinus Lib. 20. cap. 1. & 2. Solinus cap. 8. In ſumma, Græcorum vires ob diſciplinam, manum, experientiamque bellorum tantis crevere auctibus, ut ea tempeſtate, qua Dionyſius, Carthaginienſibus e Sicilia pulſis, totius inſulæ imperium occupavit, non pars, ſed univerſa ferme Italia in poteſtatem eorum venerit, ſicuti tradit Juſtinus ſupra citato loco. Si tempus vero Mythicum inſpexerimus, deprehendimus Italos e Græcis genus

ſuum ducere. Nam Arcades ex Peloponneſo, duce Oenotro Lycaonis filio, multis ante bellum Trojanum ætatibus, profecti domicilia in Italia fixere, qui a montanis ſedibus Aborigines dicti ſunt. Pelasgi longiſſimis acti erroribus in Italiam ex Æmonia, quæ poſtea Theſſalia nominata eſt, trajecerunt, qui ab Arcadibus propter cognationem ſuſcepti; erant enim Arcades a Pelasgis gente Græcorum antiquiſſima oriundi. Qui Arcades προσέληνοι dicti ſunt, quod cum luna de antiquitate certantes ſe ante eam fuiſſe ſtulte contenderint, ut liquet ex Apollonio Rhodio Lib. 4. Argonaut.

Ἄρκαδες, οἳ καὶ πρόσθε σεληναίης ὑδέονται
ζώειν φηγὸν ἔδοντες ἐν οὔρεσιν.

Hoc eſt:

*Arcades, qui & ante lunam dicuntur*

*Ter-*

*Terras habitaſſe glandem edentes in montibus.*

Adeatur Scholiaſtes ad illum librum tmemat. 22. Hinc, cum Romani ſuam originem ad Aborigines referrent, ſenatores eorum, in ampliſſimum antiquitatis teſtimonium, lunam in calceis ex aluta factis dimidiatam geſtaſſe putat Hornius Hiſtoriæ Philoſoph. Lib. 2. cap. 2. damnans illorum ſententiam, cui adſtipulatur Rubenius libro de Re Veſtiaria 2. cap. 4. qui lunam non ſideris formam ſed notam centenarii numerii ſignificaſſe putant, quod initio patritii ſenatores centum fuerint. Conſulantur Alexander ab Alexandro Lib. 5. cap. 18. ac Solerius de Pileo, Sect. 9. Pelasgorum nava ac virili opera Arcades Siculorum vires ita concuſſere ac proſtravere, ut Siculi Italiam deſerere coacti ſint. De his & aliis Mythici temporis migrationibus videatur Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. 1.

XLIX.

XLIX. Iisdem temporibus, quibus in Italiam, nempe ſæculo poſt diluvium decimo ſeptimo, a Græcis Coloniæ deductæ ſunt, Corinthii Corcyram inſulam colonis occuparunt. Deinde Corcyræi, duce Phalio Corinthio, ut narrat Thucydides Lib.1. Epidamnum urbem in Illyrico condiderunt. Qui Corinthii cum Archia, ſæculo ſupra dictum proxime antecedente, Syracuſas ex quatquor veluti urbibus, quæ appellantur Inſula, Acradina, Tyche & Neapolis, conſtantem in Sicilia maximam Græcarum urbium ac pulcerrimam omnium ædificavere. De qua legatur Cicero in Verrem Accuſationis lib. 4. Mileſii Parion urbem ita nominatam a Jaſonis filio Pario, ut ſcribit Stephanus περὶ πόλεων, in ora Helleſponti exſtruxere. Porro Mileſii Pontum Euxinum coloniis frequentarunt. Ab illis enim Iſtrus oppidum non lon-

ge

ge a ſacro Iſtri fluminis omnium, qui in Europa ſunt, maximi oſtio conditum; ut & Boryſthenes urbs a magno flumine ſic appellata, παρὰ τὴν μαιῶτιν λίμνην καὶ Τάναϊν τὸν ποταμὸν, ut habet Stephanus. Ab iisdem etiam Sinope πόλις διαφανεστάτη τοῦ πόντου exſtructa eſt. Et ſane Miletus, teſte Plinio Lib. 5. cap. 29. propter coloniarum multitudinem celebratur ſuper 70 urbium per cuncta maria genitrix. In Ægæo mari, hoc ſæculo ſcilicet decimo ſeptimo, Acanthus condita & Stagira. In Thracia Abdera, quæ patria erat Democriti & Protagoræ philoſophorum, a Tejis & Clazomeniis exſtructa. Videatur Herodoti Clio, ſive liber primus. Hoc tempore Battus, cujus proprium nomen Ariſtoteles, propter lingvæ obligationem ſic dictus, qui erat Grini conſangvineus, monitu oraculi hujus, quod legitur apud Herodotum Melpom. ſive lib. 4.

βάττ'

βάττ᾽ ἐπὶ φωνὴν ἦλθες, ἄναξ δέ
σὲ Φοῖβος Ἀπόλλων
ἐς λιβύην πέμπει μηλοτρόφον
οἰκιστῆρα.

*Batte venis vocis cauſſa: dux te*
*jubet ire*
*Lanigeram in Libyen habitatum*
*Phœbus Apollo.*

Ex inſula Thera, non Theramene, ut habet Juſtinus Lib. 13. cap. 7. Spartanorum colonia, quo lingvæ uſum acciperet, in Africam profectus, pulſis accolis, montem Cyran occupavit, ac urbem ſic dictam vel a monte vel a fonte, ut placet Stephano, ædificavit. Legantur Pindarus Pythior. ode 4. Salluſtius in de bello Jugurthino cap. 19. Juſtinus loco ſupra citato.

L. Maxime per orbem terrarum Græcarum litterarum uſus increbuit, cum Macedones, qui Græcis moribus ac lingva imbuti erant, & Græcos plurimos

rimos ſecum ducebant, ſub ductu & auſpicio Alexandri Magni, qui per quinquennium acerrimis litterarum ſtudiis ab Ariſtotele eruditus erat, rerum in Aſia & Oriente ac Ægypto potirentur. Nam cum in hæc regna Græci cultores & ab Alexandro, ſub quo Græcia erat clariſſima, atque in toto terrarum orbe potentiſſima, & ab ejus in imperio ſucceſſoribus ſint deducti, nullum dubium eſſe poteſt, quin ſimul Græcarum litterarum diſciplinarumque notitia cum uſu vitæ cultioris ſit introducta. Quippe ingenium & natura ipſa ita fert, ut flectant ſe omnia ad mores cultumque victoris. Et inprimis ſermo: cujus lenis & lenta mutatio gravis nemini, curioſis nonnullis ſvavis, ut tradit Lipſius in de recta pronunciat. Latinæ Lingvæ cap. 3. Hinc Græcorum mores paſſim admiſſi & plurimæ urbes Græciſſantes conditæ, utpo-

utpote Alexandriæ, Seleuciæ, Antiochiæ, Heracleæ, Ptolemaides, Laodiceæ, Apameæ, Perrohœæ, Pellæ, Lariſſæ, Apolloniæ, Tripoles, Heliopoles, ac aliæ complures, quas enumerant Appianus in de Bellis Syriacis, Arrianus de Expeditione Alexandri Lib. 4. Juſtinus Lib. 12. De cetero, Aſianos reliquosque ob ſermonis elegantiam, & ſententiarum gravitatem litteras Græcas toto pectore arripuiſſe, inque ſuum uſum vertiſſe res ipſa evincit. Unde factum, ut, ſecutis temporibus, non per Aſiam ſolum cis Taurum, verum etiam per reliquum orientem & Ægyptum populi a ſtrenuis religionis Chriſtianæ adverſus infideles & ethnicos aſſertoribus Apoſtolis & Epiſcopis in doctrina cæleſti, lingva Græca informarentur, ut tradit Ubbo Emmius de Græcia veteri Lib. 6.

LI. Primi, qui Græcam lingvam Ro-

Romæ publice profeſſi ſunt, erant Livius ac Ennius; qui cum Poëtæ & Oratores Semi-Græci eſſent, ut ſcribit Svetonius in de Illuſtribus Grammaticis cap. 1. utraque lingva domi foriſque docuere. Ennium, quem Qvinctilianus Inſtitut. Orat. Lib. 10. cap. 1. luco vetuſtate ſacro comparat, Scipio, qui primus nomine victæ ab ſe gentis eſt nobilitatus, ita dilexit, ut non ſolum eum domi militiæque ſecum habuerit, verum etiam ſtatuam ejus e marmore ſepulcro ſuo imponi juſſerit. Quod Cicero pro Archia, Plinius Hiſt. Nat. Lib. 7. cap. 30. Valerius Maximus lib. 8. cap. 15. Solinus cap. 7. teſtantur. Hic prior Africanus, cujus animus liberalibus diſciplinis non innutritus tantum, ſed innatus erat, cum Proconſul in Sicilia eſſet, tanto Græcarum litterarum amore ob earum gratiam captus eſt, ut, depoſito cultu Romano, litteris

Græcis operam dederit,cum pallio crepidisque in Gymnaſio inambulans, ut memoriæ proditum eſt a Livio Lib. 29. cap. 19. Qvo nomine, accuſante ipſum Fabio Maximo, male audivit, cum uſus pallii (ad quod proprie crepidæ ſpectabant, ut ad togam calcei) ſine quo Græcanica exercitia non frequentabantur, Romanis eo tempore non fuerit licitus, ſed a temporibus Auguſti cœperit: quibus & inſequentibus togarum uſus apud Romanos magis ac magis in deſvetudinem abiit, adeo ut tantum in ſalutationibus matutinis & officiis reliquis celebrandis ſumeretur: Id quod docent Salmaſius ad Tertull. de Pallio cap. 3. ac Caſaubonus Exercit. 9. §. 2. ad Annales Eccleſiaſt. Baronii.

LII. Eodem fere tempore, quo Livius ac Ennius vixere, Hiſtoricorum antiqviſſimi Q. Fabius & Lucius Cincius florebant, qvi veterum Romano-

rum

rum geſta Græco ſermone ſcripſerunt. Legantur Dionyſius Halicarnaſſenſis Lib. 1. cap. 6. Voſſius de Hiſtoricis Latinis Lib. 1. cap. 3. 4. Apud qvem ingentem Romanorum numerum, qvi res ſuas geſtas litteris Græcis conſignarunt, legas. Qui Romani ideo, ſicuti ego exiſtimo, monumenta rerum ſuarum in litteris Græcis exſtare voluerunt, quo facilius a cunctis legerentur atque intelligerentur. Nam Græca lingva, qvæ eo tempore totum pæne orbem non peragravit ſolum ſed inſedit, in omnibus ferme gentibus legebatur, Latina ſuis tantum terminis atqve iis exiguis continebatur, ut ſcribit Cicero in Orat. pro Archia poëta.

LIII. Non tantum Romani Græce ſcripſerunt, ſed & Græca, ſi qva ipſi probarent, in Latinum verterunt. Unde copia ac facilitas maxime veniebat. Nam Græci rerum copia abundavere,

&plurimum artis in eloqventiam intu-
runt, & Romanis hos transferentibus verbis uti optimis licuit. Hinc Ennius Euhemerum antiqvum auctorem, qvi res geſtas Jovis & ceterorum Deorum collegit, hiſtoriamqve illorum ex titulis & inſcriptionibus ſacris contexuit, narrante Lactantio Lib. 1. cap. 2. Latine expreſſit. Cicero libros Platonis ac Xenophontis edidit hoc genere translatos. Id multis aliis placuit. Vide ſis Qvinctilianum Inſt. Orat. Lib. 10. cap. 5. Marcus Cenſorius Cato, cui tanta vis animi ingeniiqve fuit, ut, qvocunqve loco natus eſſet, fortunam ſibi ipſe facturus videretur, quamvis unus inter Romanos pro rigidis ſuis moribus, Græcos præter urbem cenſeret; tamen in tantum illis, ob ſcientiam Græcarum litterarum, quas, ætate jam declinata, didicit, favebat, ut præturæ ſuæ tempore, cum humerum exſertus togam ritu

Ga-

Gabino cinctam haberet, qvaſi palliato habitu Græcos philoſophos & qvidem Cynicos, qvi pallio ſe involvebant, dextro tantum brachio exſerto, unde & ἐξωμίαι dicebantur & habitus eorum ἐξωμὶς, imitatus ſit. De hac re, qvi vult plura cognoſcere, legat Tertullianum de Pallio cap. 3. & notas Salmaſii. Cæſari Auguſto, qvi magnitudine ſua omnibus Imperatoribus Romanis caliginem induxit, tam magnum Græcæ lingvæ ſtudium injectum erat, ut, referente Svetonio in ejus vita, cap. 98. lege propoſita juſſerit Romanos Græco, Græcos Romano habitu & ſermone uti. Nec minori cura ac diligentia Claudius Imperator Græca ſtudia eſt ſecutus, cum amorem præſtantiamqve Græcæ Lingvæ omni occaſione profitens Achaiam patribus conſcriptis ob communium ſtudiorum commercium commendarit, ac pro tribunali ul-

tum Homericis locutus ſit verſibus, Græcasqve ſcripſerit hiſtorias. Videatur Svetonius in Claudio c. 42. Sæculis vero prioribus, ipſi qvoqve Romani pueri, ut a Livio Lib. 9. cap. 36. traditur, ita litteris Græcis erudiebantur; ſicut prius Etruſcis litteris erudiri ſoliti erant. Et certe Qvinctilianus Lib. 1. cap. 1. prima diſcentium elementa maluit eſſe ſermonem Græcum, qvam Romanorum: qvia Græci, qvorum animos ſapientia maximis dotibus feliciſſime imbuit, Romanis ſcientias ac diſciplinas invexere. Sane, poſtqvam pallium Græcanicum, ut ita cum Puteano loqvar, in Italia ipſa Latinitatis ſede, ſermones omnes veſtivit, publica, privata, ſeria, ludicra Græce peracta ſunt. Qvin & deliciæ ipſæ ac blanditiæ Græcæ fuere, cum ſeqvior ille ſexus lingvam Græcam in cultu & uſu habere inciperet, ut liqvet ex his Juvenalis verſibus, qvi in Satyr. 6. leguntur: *Nam*

*Nam quid rancidius, quam quod ſe non putat ulla*
*Formoſam, niſi quæ de Tuſca Græcula facta eſt?*
*De Sulmonenſi mera Cecropis, omnia Græce,*
*Cum ſit turpe magis noſtris neſcire Latine.*

Et paullo poſt: *Non eſt hic ſermo pudicus in vetula, quoties laſcivum intervenit illud* ζωὴ καὶ ψυχή. Hinc Græci, qvod Romanis ob maximam lingvæ jucunditatem paremqve copiam, qvibus illos in eloqvendo longe ſuperabant, acceptiſſimi eſſent, a poëtis Romanis ægris oculis illorum felicitatem intuentibus, qvo in odium ac offenſionem populi incurrerent, per contemtum Græculi vocati ſunt, ut ferme ſolet. Etenim qvi aliorum induſtriam non æqvant, & qvos altius eminere vident, libenter de his detra-

 hunt,

hunc, bonum alienum contumelioſis vocibus proſeqventes ac laudem ejus invidia obterentes. At hi nihil aliud quam ipſorum ſunt tormenta: qvia dolorem cum inferre volunt, patiuntur, amara ſollicitudine, ne non contingat ultio, anxii; proinde, cum invidia nunqvam ſine tormento ſui ſit violenta, aliis id non invideamus, qvo ipſi caremus: ſed contra ſenſum qvendam voluptatis percipiamus, ſi ea, qvæ nobis denegantur, aliis videmus ſupereſſe. Alias, ut cuivis notum eſt, cum antiqvi Romani nullum tempus artibus ac ſtudiis, qvæ vel ſervi vel peregrini colebant, tribuerent, augendæ rei domeſticæ, publicæ recte adminiſtrandæ, conſervandæ libertati, propagandis imperii terminis intenti, ſæpe illos, qvi ſe literis vel otio tradebant, Græculos nominabant, tanqvam non communi, ſed ſuo tantum commodo ſtudentes,

non

non aliis ſed ſibi natos. In ſumma, Græcæ lingvæ ſtudium, a qvo Romani antea alieni erant, Romæ tunc efflorеſcere cœpit, cum a L. Sulla, qvi usqve ad finem victoriæ ſatis laudari, neqve poſt victoriam abunde vituperari poteſt, Græciæ decus Athenæ eſſent expugnatæ, ac a L. Mummio, qvi primus ex novis hominibus cognomen virtute partum vindicavit, Corinthus funditus everſa ſive eruta. Hac qvippe occaſione non ſolum Græcia ſervitute multata eſt, verum etiam qvamplurima Græcorum, præcipue autem Platonis & Ariſtotelis ſcripta in Italiam invecta, & ipſæ Muſæ qvaſi captivæ abductæ ſunt. Qvin & olim lingva Græciæ gentis fuit eadem cum Latina, parum declinatione mutata. Nam formæ litteris latinis eædem, qvæ veterrimis Græcorum, erant, ut refert Tacitus Annal. 11. cap. 14. Qvod & teſtatur inſcri-

ptio illa Delphica, qvam adfert Plinius Lib. 7. c. 58. Ionicis litteris hoc pacto, ut in qvibusdam Plinii codicibus ea verbis aliqvot auctior legitur, conſcripta: NAVCIKPATES. TICAMENOY. AΘENAIOC. KOPAI. KAI. AΘENAI. ANEΘEKEN.

De qva Epigraphe legi poſſit Voſſius de Arte Grammatica Lib. 1. cap. 11. Cui addatur Paullus Merula Cosmograph. Part. II. Lib. IV. c. 18. Litteræ vero, qvibus hodie utimur, non minuſculæ illæ, hæ enim non ita antiqvæ, cum celerius ſcribendi gratia ſint adinventæ, ſed majuſculæ ac capitales ut in columnis & numis, Ionicæ ſunt. Legatur Valeſius in Notas Mauſſaci in Harpocrationem ad verba Ἀττικὰ γράμματα. Adde, ſi placet, Schotanum de literatione Græcorum.

LIV. Nec Gallia, Europæ lumen, olim uſu & cultu litterarum Græcarum

rum caruit. Maſſilia, cujus civitatis diſciplinam atqve gravitatem Cicero in Orat. pro L. Valerio Flacco non ſolum Græciæ, ſed & pæne cunctis gentibus anteponere non dubitat, tempore Cyri, cum Aſiam expugnaret, a Phocæenſibus Perſicam fugientibus ſervitutem in litore Galliæ ad mare mediterraneum inter barbaros Salyas poſita, qvæ cum bonarum litterarum ſedes ac magiſtra eſſet, Gallos uſum vitæ melioris & cultioris docuit, & ita Græcæ lingvæ amantes reddidit, ut in omnibus publicis privatisqve negotiis, ſive rationibus Græcis litteris uterentur, ſicut refert Julius Cæſar Lib. de Bello Gallico 6. Nec aliter Strabo, qui Lib. 4. ita ſcribit: *δηλοῖ δὲ τὰ καθεστηκότα νυνί· πάντες γὰρ οἱ χαρίεντες πρὸς τὸ λέγειν τρέπονται καὶ φιλοσοφεῖν· ὥσθ' ἡ πόλις μικρῷ μὲν πρότερον τοῖς βαρβάροις ἀνεῖτο παιδευ-*

δασκαλεῖον, καὶ Φιλέλληνας κατεσκεύασε τοὺς Γαλάτας, ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια ἑλληνιστὶ γράφειν. Hoc eſt: *Idque nunc ejus urbis ſtatus indicat. Nam quicunque ſunt elegantiores ibi homines, ii ſeſe ad dicendum & philoſophandum conferunt. Itaque urbs ea paullo ante barbaris loco ludi litterarii patefacta, tantum Græcarum litterarum ſtudium apud Gallos excitavit, ut contractuum quoque formulas Græce conſcriberent. Si in publicis, ſane diffuſum & in pretio hoc idioma: ſi in privatis, familiare & in uſu erat*, ut loqvitur Puteanus in Svada Attica Orat.6. In ſumma, in tantum Galli Maſſiliæ ſeveritatis cuſtodis acerrimæ præclaris inſtitutis ac artibus ingenuis enituere, ut non Græcia in Galliam emigraſſe, ſed Gallia in Græciam translata videretur. Hinc hodieqve tam freqvens in Gallo-Romano ſermo-

mone Helleniſmus. Qvæ civitas, qvod Græca eruditione ac comitate & Narbonenſium parcimonia miſta ac bene compoſita eſſet, tantæ dignationis habita, ut non ſolum Galli, Hiſpani aliiqve, ſed & Romani ad eam, tanqvam ad alteras Athenas, philoſophiæ lingvæqve Græcæ diſcendæ gratia ſe contulerint, ut notum eſt ex Tacito ac aliis Romanæ Hiſtoriæ ſcriptoribus. Qvin & Gallis, cum Græcia floreret, lege ſancitum erat, ut in Græciam celeberrimus qvisqve ingenio mitteretur cognitionem litterarum ejus acqviſiturus, ut auctor eſt Philoſtratus Lib. I. de vitis Sophiſtarum, in Vita Phavorini philoſophi, cum dicit Phavorinum *κατὰ τοὺς ὑπὲρ τοῦ βιούτων νόμους*, per leges patrias philoſophiam fuiſſe ſecutum. Inter alia teſtimonia, qvæ luculenter teſtantur Gallos in Græciam lingvæ amore iviſſe, etiam hoc Luciani ſatis clare id i-

pſum

pſum oſtenſum it, tomo primo in Hercule Gallico. Cujus hæc ſunt verba, dum de pictura ejus loqvitur: Ταῦτ' ἐγὼ μὲν ἐπὶ πολὺ εἱστήκειν ὁρῶν καὶ θαυμάζων, καὶ ἀπορῶν καὶ ἀγανακτῶν. Κελτὸς δέ τις παρεστὼς, οὐκ ἀπαίδευτος τὰ ἡμέτερα, ὡς ἔδειξεν, ἀκριβῶς ἑλλάδα φωνὴν ἀφιεὶς, φιλόσοφος οἶμαι τὰ ἐπιχώρια, ἐγώ σοι, ἔφη, ὦ ξένε, λύσω τῆς γραφῆς τὸ αἴνιγμα. Et poſt nonnulla interjecta: μέμνημαι γοῦν, ἔφη, καὶ Κωμικῶν τινων Ἰαμβείων παρ' ὑμῶν μαθών. Hoc eſt: *Hæc ego qvum diutius aſſiſtens eſſem contemplatus, admirans, hæſitans, indignans. Gallus quispiam, qui propius adſtabat noſtratium litterarum non indoctus, id quod declaravit, quum Græcanicam lingvam perfecte pronunciaret, philoſophus opinor, ex eo genere Philoſophorum, quod apud illos eſſe fertur, ego tibi,*

*bi, hoſpes, inquit, pictura iſtius ænigma explicabo. Nam memini*, inqvit, *& Comicorum Veſtrorum quosdam Jambos penes vos in Græcia diſcens.* Qvod vero Wolfgangus Lazius Lib. 2. de Gentium migrationibus Gallos Græcæ lingvæ in Græcia rudimenta hauſiſſe exinde probare nitatur, quod Galli occiſo Cydiæ adverſus ſe deſignato Imperatori carmen Græcis litteris in templo Jovis Eleutherii dicarint, in eo memoria lapſus eſt. Nam non Galli hoc carmen Cydiæ conſecrarunt, ſed propinqvi Cydiæ, ut clare oſtendit Pauſanias in Phocicis ſive Lib. 10. At illi Galli Gallogræci nominati ſunt, qvi, facta a Brenno duce ſeceſſione, in Thraciam iter avertentes, Cherſoneſo omni armis poſſeſſa, in Æolide ac Ionia ſedes fixere. De qua re legendus eſt Livius Lib. 38. cap. 16. Horum poſteri erant illi Celtæ, ſive Germani, qvi Gallicos ad-

adhuc, nondum exoleta ſtirpe gentis, ſervantes animos Alexandro Magno, cum ad illum venirent amicitiæ fœdus cum eo inituri, qværenti qvid in humanis rebus maxime extimeſcerent, ratus nominis ſui dignitatem, ac famam maximum in bello utiqve momentum, ante omnia ipſis formidoloſam videri, reſpondebant, qvod natura ſitus difficiles eſſent aditu, vereri, *μή πο7ε ὁ ὀρανὸς αὐτοῖς ἐμπέσοι, ne forte in ſeſe aliquando cælum rueret*, ut memoriæ proditum eſt ab Arriano Lib. 1. de Expedit. Alexandri. Qvibus in fœderatorum numerum receptis Alexander hoc unum adjecit, *ὅτι ἀλάζονες Κελτοὶ εἰσιν*, qvod Celtæ ſunt arrogantes. Hos Ionium mare incoluiſſe ſincera fide tradit ſupra citatus dicto loco Hiſtoricus. Et hi putantur fuiſſe iſti Galatæ, ad qvos Paulus Apoſtolus Epiſtolam ſcripſit, qvæ adhuc in Eccleſia ad Galatas legitur.

LV.

LV. Qvin & Britanni olim Græcas litteras, ob freqvens illud commercium, qvod ipſis cum Maſſilienſibus, ac Druidibus Græce peritis erat, notas ſibi habuere. Unde Eraſmus ſcribere non veretur in Adagio *ῥόδιοι τὴν θυσίαν*, veterem Britannicæ gentis lingvam, qvæ nunc VVallica eſt, ſatis indicare eam aut profectam a Græcis, aut certe mixtam fuiſſe. Sive, qvod reliqva Europa belli clade preſſa, Græcorum plurimi in Britanniam, tanqvam in Aſylum confluxerint, ut Smithus arbitratur; ſive qvod Britanni, avitis ſedibus in Scythia Europæa relictis, qvæ eſt Merici Caſauboni ſententia, lingvam ſuam Græcis vocabulis ex freqventi cum Græcis conſortio ita miſcuerint, ut poſt tot demum ſæculis Britanniam occupatam, reliqvias qvoqve hodie Græci ſermonis retineant. Qvi diligentius hanc rem cognoſcere cupit, adeat Gvilielmum Burtonum.

LVI. A Druidibus Gallorum ſacerdotibus, qvibus, ut ſuperiori theſi dictum eſt, Græca Lingva in uſu fuit, Germanos, antiqvis temporibus, litteras Græcas habuiſſe non paucorum eſt ſententia. Nam hi a Tiberio Cæſare Gallia ejecti in Germaniam putantur commigraſſe, ac Germanos litteras Græcas docuiſſe. Sunt & alii, qvi Græcæ lingvæ cum Germanica cognationem adſcribunt navigationi Phocenſium in Gallias Celticamqve. Alii eam conformitatem ſive convenientiam inde natam arbitrantur, qvod Mileſii Græciæ Aſiaticæ populi ſedes ſuas cum Germanis conjunxerint. Alii cauſſam referunt in Brenni ſociorumqve irruptionem in Græciam. Alii alias adferunt cauſſas: in qvibus multus eſt VV. Lazius Lib. 2. de Migrat. Gentium.

LVII. Nec Moſcovitæ Græcæ lingvæ qvondam erant ignari. Nam id ipſum

ipſum non ſolum evincunt qvampluri-ma Græca vocabula in lingva illorum obvia, verum etiam hoc teſtatur eo-rum Alphabetum Græco non diſſimi-le. Cernuntur qvippe in eo ω, κ, η, α, B, X, E, T, inverſum ρ, γ, ſed latius Δ, ſed contractius λ &c. ut memoriæ pro-didit Angelus Rocha de Moſcovita-rum lingva. Qvin & dicitur fides eo-rum Chriſtiana, qvam primitus ſe a Sancto Andrea, qvem ex Græcia per Pontum Euxinum ad oſtia Boryſthe-nis fluvii navigio adpulſum volunt ad Kioviam tunc temporis Metropolim Ruſſiæ adverſo flumine perveniſſe, ſu-ſcepiſſe tradunt, a Conſtantino Ma-gno, ſub Olha duciſſa, ut communiter dici ſolet, & Volodimiro filio ejus, Mo-narcha Ruſſiæ, Græcorum ritu reſtitu-ta. Hinc Spiritum Sanctum a ſolo pa-tre, nec a filio procedere, perinde atqve Græci dicunt, ac more Græcorum in

ſacra cœna pane fermentato utuntur. De qva re ut & de aliis ſacris eorum cærimoniis, qvas a Græcis accepere, legantur Joannes Faber ac Alexander Gvagninus de Religione Moſcovitarum.

LVIII. Sic & in Judæorum ſcriptis non pauca Græca occurrunt vocabula. E qvibus eſt Sanedrim, a Græco *συνέδριον*, qvod concilium aut conſeſſum denotat. Item Mamphula & Pſantherim; qvorum prius, qvod apud Feſtum invenitur, Joſephus Scaliger, cujus tanta in litteris claritudo & æſtimatio, ut poſſit vel obſoletis nitorem dare, faſtiditis gratiam, novis auctoritatem, in Caſtigationib. ad eundem de Verbor. Signific. dicit ſe ſcire in Hebræorum Commentariis Manphul eſſe mancipem piſtrinorum, depravatum a Græco *μονοπώλης*. Neqve dubitat, qvin Mamphula in traduces Syriacæ

riacæ lingvæ ex matrice Græcia propagata ſit. Alterum in vetuſtiſſimo ſcriptore Daniele cap. 3. Græcum eſſe dicit pro Pſalterio. Qva ratione & in Paralipomenis ſeu in Chronicis τὸ Rapſod reperiri ait παρὰ τὸ ῥαψῳδεῖν. Quod vero Syri poſteriores multa a Græcis mutuati ſint, teſtantur auctores doctisſimi, qvi Originum libros nobis reliqverunt. Qvi & ſcribunt eos a Græco ῥητορικῇ, ut nihil jam de ſexcentis aliis ejusmodi vocibus apud illos e Græcis derivatis dicatur, ſuum Rehetara feciſſe. Cum his conferatur David Cohen de Lara, in de Convenientia Vocabulorum Rabbinicorum cum Græcis & qvibusdam aliis lingvis Europæis. Sub Veſpaſiano atqve Tito duo clari Judæi Philo & Joſephus floruerunt, qvi maxima ac accuratiſſima Græcæ lingvæ cognitione erant inſtructi. De Philone, qvod Platonem imitatus ſit ac ex-

preſſerit, dictum eſt: ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει. Hoc eſt: *Aut Plato Philonem, aut Philo Platonem imitatur.* Joſepho etiam tam exqviſita erat hujus lingvæ notitia, adeo ut Romæ ob ingenii & eruditionis gloriam ſtatuam meruerit, qvamvis a patria conſvetudine in exacta pronunciandi ratione impediretur, ut ipſemet ſcribit Antiqvit. Judaic. Lib. 20. cap. 9. Qvod & contigit Carolo M. Germanici Imperii auctori: ſcribit enim Eginhardus in ejus vita illum Græcam lingvam melius intellexiſſe, qvam pronunciare potuiſſe. Qvod vero attinet ad locum Joſephi, ſcio eum aliter a Seldeno in de Synedriis Lib. 2. cap. 9. explicari; qvi proinde ſi ita tibi, Lector, placitum fuerit, videatur.

LIX. Græcia, qvæ olim flos terrarum, ſol & ſal gentium erat, cum ſub Alexandro Magno, ut theſi 50. dictum

eſt,

eſt, maxime floreret, certe non tantum imperii viribus, ſed & omni ſcientiarum genere ad illuſtrem nominis gloriam adſurrexit, adeo ut reliqvæ gentes, qvæ erant humaniores, eloqventiam ejus ac doctrinam æmularentur. Hinc & cognitio Hebrææ lingvæ apud Judæos elangveſcebat, cum eruditi ſtudio non minus Græce qvam Hebraice loqvendi tenerentur. Qva ratione factum eſt, ut multa verba Græca lingvæ Hebrææ admixta ſint. Nehemias & alii pii Judæi a Captivitate Babylonica reduces, cum in vivis eſſent, ſumma qvidem ope lingvam Hebræam, qvæ ſenſim in interitum ruere videbatur, integram ſervare nitebantur: Verum cum hi vita exceſſiſſent, zelus hic apud reliqvos Judæos, ob majores belli, poſt Alexandri Magni mortem, irruptiones paulatim refrixit. Lingvæ vero Græcæ uſus apud Judæos, imperantibus Se-

leucidis, maxime invaluit. Nam, cum Reges Syriæ dominandi ſtudio permoti ſumma imis miſcerent, ac Judaica gens, lex & lingva præfectorum ac militum gentilium commercio permiſcerentur ac confunderentur, apud vulgus non Syra ſimpliciter in uſu erat, ſed media quædam lingva inter Hebræam & Aramæam, qvæ Hieroſolymitana adpellata eſt, lingva Hebræa in deſvetudinem abeunte. Conſtat qvippe ex annalium monumentis, exſtincto in ipſo ætatis ac victoriarum flore Alexandro Magno, fortunam principes ejus, ſive miniſtros æmulatione virtutis in mutuam armaſſe perniciem, cum diviſis imperii partibus non eſſent contenti, qvod ſordeant prima, cum majora quæque ſperantur, atque hinc, dum quilibet eorum Monarchiam adfectaret, totum fere terrarum orbem magna belli clade preſſum fuiſſe, ac ejus mo-

molem maxime in Judæam converſam. Hebræos lingvam Græcam valde amaſſe, evidenti etiam ſunt argumento nomina propria, ut Alexander, Alcimus, Menelaus, Hircanus, & alia ejusmodi; multa, cum hæc in lingvam Hebræam de Græca ſint aſſumta. Narrat Mayerus Philologiæ Sacræ partis primæ cap. 6. ex Gorionidis Lib.2. Hiſt. Jud. cap. 6. ſummum ſacerdotem Alexandro, cum ædem Hieroſolymitanam adſcenderet ſanctuarium, & theſauros templi perluſtraturus, volenti effigiem ſuam in domo Dei magni erigere adverſatum fuiſſe, quod non licitum eſſet imaginem aliqvam in domo Dei ponere, ac ab eo petiiſſe, ut aurum, qvod ſponte obtulerat, in ſuſtentationem ſacerdotum Dei pauperum daret, promittendo, ut, qvi anno iſto per univerſam Judæam nati fuerint, in gratam beneficii memoriam Alexan-

dri adpellarentur. Sacerdotes,qvi infantibus ſuis nomina Græca impoſuerunt, alios etiam ex vulgo imitatos fuiſſe dubium non eſt, cum exempla, unde cœperunt, ibi non conſiſtant. In ſumma, Judæi non ſolum Græcam lingvam addiſcebant ac Græca nomina aſſumebant, ſed multa etiam ex conſvetudine Græcorum hauriebant. Sic inter alia,qvæ a Græcis habebant, mortuos ad tibias efferebant, ut patet ex Matthæo cap.9. Commat.23. ubi mentio fit τῶν αὐλητῶν. Αὐλητὰὶ erant Siticines, qvi apud ſitos, h. e. defunctos canere ſoliti. Qvi mos ductus eſt a Græcis. Nam ab illis in hanc rem adhibiti Cantores, qvi lugubri voce aliis præirent. Legantur Mayerus ſupra citato loco. Geierus de Ebræorum luctu cap.5. §. 16. Feithius Antiqvitatum Homericarum Lib. 1. cap. 13.

LX. Gothis majoribus noſtris, qvi Ro-

Romanorum cervicibus qvondam graves erant, ac Græciæ Aſiæqve victoriis clari, Græcæ litteræ non parum debent, cum Runæ Gothicæ litterarum Græcarum Phœniciarumqve matres ſint, ut erudite more ſuo oſtendit Vir Patriæ Antiqvitatum callentiſſimus, Dn. Olaus Rudbeckius in Atlantica c. XXXVIII. de Migratione Litterarum. Qvi primus Runarum ætatem, ut experimento ſollertiſſimo, ita certiſſimo, e terræ ſuperficie, in qvantum ea, ſingulis ſæculis, a diluvii tempore, in tumulis ſepulcralibus, in qvibus cippi, qvi Runarum formis inſculpti erant, erecti, aucta ſit, erutum ivit. Adeatur Atlantica Capite ſupra dicto, ut & Capite VI. in qvo gentis Sveoniæ vetuſtas ex antiqvorum tumulis ſeu collibus ſepulcralibus colligitur. Narrat qvidem Socrates Hiſtor. Eccleſiaſt. Lib. 4. cap. 33. Ulphilam Gothorum in Mœſia Epiſcopum,

pum, tempore Valentis Imperatoris litteras Gothicas inveniſſe, ut liqvet ex his ejus, dicto loco, verbis: Τότε δὲ καὶ Οὐλφίλας ὁ τῶν Γότθων Ἐπίσκοπος γράμματα ἐφεῦρε Γοτθικά· καὶ τὰς θείας γραφὰς εἰς τὴν Γότθων, μεταβαλὼν, τοὺς βαρβάρους μανθάνειν τὰ θεῖα λόγια παρεσκεύασεν. Hoc eſt, vertente Valeſio: *Eodem etiam tempore Ulfila Gothorum Epiſcopus Gothicas litteras excogitavit, & ſacris ſcripturis in Gothorum ſermonem converſis, effecit, ut Barbari divina eloquia perdiſcerent.* Nec aliter ſentit Iſidorus Hiſpalenſis in Chronico Gothorum Era CCCCXV. ſic loqvens: *Tunc Gulfilas eorum Epiſcopus Gothicas litteras adinvenit, & ſcripturas ſacras in eandem lingvam convertit.* Hoc ipſum teſtantur verſus trochaici antiqvi a me theſi X. adducti. Qvin & Jornandes Lib. de Rebus Geticis cap. 51.

Ul-

Ulphilæ (qvi eum Vulfilam appellat) Geticarum ſive Gothicarum litterarum inventum adſcribit. Verba ejus ſic habent: *Erant ſiquidem & alii Gothi, qui dicuntur minores, populus immenſus, cum ſuo Pontifice, ipſoque primate Vulfila, qui eos dicitur & litteris inſtituiſſe.* Hinc Hermannus Conringius in Libro de Origine Juris Germanici Cap. 5. de Legibus Gothorum ſtatuit ante Ulphilam Runicas litteras ſeptentrionalibus populis non fuiſſe uſitatas, dicens Ulphilam non excogitaſſe novos characteres, ſi qvæ litteræ Gothis jam in uſu fuiſſent. At pace tantorum virorum, Ulphila, qvi Novum Teſtamentum in lingvam Gothicam tranſtulit, characteres veteres Gothicos primus non excogitavit, cum a Gothis indigenis jam dudum, & qvidem tertio poſt diluvium ſæculo ſint inventi, ſed illos, qui apud Gothos 16. tantum

tum erant, pluribus litteris Græcis atqve Latinis, donec fierent 25. auxit, ut docent celeberrimæ memoriæ Dn. Virelius in Runographia Scandica cap. 3. & 13. ac Vir ſummi ingenii Dn. Olaus Rudbeckius in Atlantica cap. 38. de migratione litterarum. Qvibus addatur ſæculi hujus ornamentum Doctor Loccenius Antiqvit. Sveo-Gothicar. Lib. 2. cap. 15. qvi meliori ſui parte tamdiu durat ac durabit, quamdiu ullus fuerit litteris honor. Nec hac in re omittantur Bonavent. Vulcanius de Litteris & Lingva Getarum ſive Gothorum, Meſſenius in Specula Svecorum & Gothorum cap. 8. ac Thomas Mareſchallus Anglus de Verſione Gothica quatuor D. N. Jeſu Chriſti Evangeliorum. Majores noſtros haud tralatitiam, ut quidam rentur, bonis artibus ac litteris operam navaſſe vel illud teſtimonio eſt, ut multa alia hoc ipſum

pro-

probantia jam prætercam, quod poëtæ noſtri vetuſtiſſimi Scalldi vel Scaldri a ſono Scall ſic dicti, majorum præclara facta in conventibus ſollemnioribus, quo poſteri ad virtutem excitarentur, carminibus peculiari arte conſcriptis, quorum innumera fere genera erant, celebrarint. Hinc illi apud Reges ea olim erant dignitate, qua jam viri longo rerum uſu ac prudentia inſignes, ut ex patriæ annalibus oſtendit beatiſſimæ memoriæ Doctor Loccenius Antiquit. Sveo-Gothicarum Lib. 2. cap. 16. Idem tradit Wormius in Appendice Literaturæ Runicæ, cum dicit: *Poëtas veteres, quos Scaldros ac Runas vocabant, eo loco apud Reges ac principes antiquitus fuiſſe, quo jam Conſiliarii, literati, aliique prudentia ac rerum uſu præſtantes, eſt in confeſſo.* Hos noſtros Scaldos imitati ſunt vates Gallorum nomine Bardi. Nam hi, referen-

ferente Ammiano Marcellino Lib. 15. fortia virorum Illuſtrium facta heroicis compoſita verſibus cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt. His addantur Stephanius in Præfation. Saxonis Grammatici, Hackenbergius de Originibus Svedicis, theſi 14. ac præter Scalldos ingenio clari ac eruditionis laude conſpicui apud Getas erant alii quam plurimi, & quidem in his Zamolxis, Zeutas & Diceneus: a quibus Getæ dicuntur hauſiſſe ſententiam de animorum immortalitate, ut tradunt Jornandes Lib. de Rebus Geticis cap. 5. ac Mariana Lib. 5. Rerum Hiſpaniæ cap. 1. De qua re Lucianus tom. 2. in Deorum Concilio ita loquitur: *Τοιγαροῦν οἱ Σκύθαι καὶ οἱ Γέται ταῦτα ὁρῶντες αὐτοῦ, μακρὰ ἡμῖν χαίρειν εἰπόντες, αὐτοὶ ἀποθανατίζουσι, καὶ Θεοὺς χειροτονοῦσιν, οὓς ἂν ἐθελήσωσι, τὸν αὐτὸν τρόπον, ὅνπερ καὶ Ζάμολξις δοῦλος*

*ὢν*

ὧν παρενεγράφη, οὐκ οἶδ' ὅπως διαλαβών. Hoc eſt: *Itaque & Scythæ & Getæ hæc videntes, nobis longum valere juſſis, ipſi immortalitate donant homines, ſuisque ſuffragiis Deos quoscunque libuerit conſtituunt, non alia ratione quam Zamolxis ſervilis conditionis homo exiſtens, divinitatem adeptus eſt, & Deorum numero aſſcriptus, haud ſcio, quo modo nobis impoſuerit.* Getæ, quod crediderint animam poſt mortem non occidere, narrante Herodoto Melpom. ſive Lib. 4. vocati ſunt ἀθανατίζοντες, ac Deus is, ad qvem poſt extremum vitæ diem commeare putabantur, dictus Γεβελέϊζις, quod defunctis requiem ab omnibus curis largiri putaretur: Eſt enim hoc nomen mere Gothicum ac ſignificat giſva lyſa / id eſt, dare vacationem a curis & laboribus. Viris ſupra nominatis non minus illuſtris erat

S Aba-

Abaris filius cujuſdam Seuthæ inter Scythas, qui Oracula, quæ appellata ſunt Scythica, ſcripſit. Hunc Acragantinorum tyrannus Phalaris

(ὃν ταύρῳ χαλκέῳ καυ-
τῆρα νηλέα νόον,
ἐχθρὰ κατέχει παντᾶ

φάτις, ut canit Pindarus Pythior. Ode 1. hoc eſt: *Quem tauro æneo combuſtorem animo immitem odioſa tenet ubique fama*) cum, teſte Luciano tom. 3. in Phalaride primo, liberaliter eſſet educatus, ac ingenuis diſciplinis artibusque eximie imbutus, ob famam doctrinæ ejus, epiſtola quadam, quæ adhuc inter epiſtolas ejus reperitur, ad ſe in Siciliam arceſſivit; verum ad eum ob ſævum & crudele ipſius ingenium non acceſſit, ut videre eſt ex ipſius Epiſtola reſponſoria apud Franciſcum Philelphum ſuæ ætatis hominem doctum Conviviorum Lib. 2. vel Opere de qvarun-

rundam diſciplinarum ortu & incremento, ut Joanni Ludovico Vivi aliisque placet. De cetero, Scythas, qui non minus illuſtria initia, quam imperium habuere, ſingulari quadam mentis ſollertia in rerum naturalium cognitione fuiſſe præditos ac inſtructos, ſatis oſtenſum it illa ipſorum apud Juſtinum Lib. 2. cap. 1. cum Ægyptiis de generis antiquitate contentio. Et certe, hinc etiam liquet non rudem & inconditum Scythis ſenſum fuiſſe, cum natura hoc ipſis dederit, quod Græci longa ſapientium doctrina, præceptisque philoſophorum conſequi nequivere, ut refert Juſtinus libro ſuperius nominato cap. 2.

LXI. Expeditione Gothorum prima eo res eſt deducta, ut litteræ Græcæ ab his locis viam ad exteros invenerint. Quod evidenter oſtendit Lingvæ Græcæ cum Gothica conformitas, ac pro-

pior cognatio; quæ mille probari poteſt vocabulis: e quibus hæc pauca, ordine alphabetico neglecto, ſunto: Stoppa/ *στύφω*, Knå/ *κνήμη*. Nåås/ *νῆσος*. Hytlerij/ *ὕθλος*. Flåder/ *φλεδών*. Skielm/ *χέτλιος*. Kyſſa/ *κῦσαι*. Art/ *ἀρετή*. Salt/ *ἅλς*. Kiſta/ *κίςη*. Ankar/ *ἄγκυρα*. Lampa/ *λαμπάς*. Mana/ *μήνη*. Een/ *ἕν*. Enigheet/ *ἑνότης*. Yxa/ *ἀξίνη*. Klang/ *κλαγγή*. Sod/ *Ζωμός*. Buſka/ *βοσκή*. Tåna/ *τείνειν*. Spyſa/ *σπίζειν*. Kåla/ *κηλεῖν*. Gràs/ *γράςις*. Aln/ *ὠλένη*. Senap/ *σίναπι*. Hinc *σιναπιᾷν*, vultum ducere, quod proprie dicitur de ægre aliquid ferentibus. Spàrka/ cum dicitur de motu animantium cum morte colluctantium, *ἀσπαίρειν*, *σπαίρειν*. Reta/ *ἐρέθειν*. Falla/ *σφάλλεσθαι*. Kittel/ vas, quo quivis continetur liquor, *χύτλος* & *χύτλον*. Eſt autem juxta Scho-

Scholiaſten Apollonii Argonautic. l. 2. ὁ χύτλος proprie τὸ μεθ' ὕδατος ἔλαιον. Unde χύτλον etiam denotat τὸ ἐλαιοδόχον ἀγγεῖον, ἐν ᾧ εἶχον οἱ παλαιοὶ τὸ ἔλαιον, ᾧ μετὰ τὸ λέσασθαι ἐχρίοντο. Id eſt: Vas oleарium, ſive quod oleum continebat, in quo habebant veteres oleum, quo poſt lavationem ungebantur. Pa, via, πάτος. Hinc Medelpadia ſuum habet nomen; quia illa provincia eſt media quaſi inter Helſingiam & Angermanniam. Kloo / χηλή. Slabra / ſive Slapra / λαβράζειν. Quod eſt, juxta ſcholia in Nicandri Ἀλεξιφάρμακα, ἐν τῷ δήμῳ λάβρως φωνεῖν. Klöſter / κλαῖστρον. Broma / βρέμειν. Een bromare / eller den / Hvilken bromar op / βρόμιος. Ex quo Pindaro φόρμιγξ Nemeor. Ode 9. ob ſonum, quem edit, dum pullatur, dicitur βρομία. Tull / τέλος. Säk / σάκκος.

κος. 𝔅åtre/ βέλτερος. 𝔇iur/ θήρ. ȯga/ αὐγή. Nam αὐγαὶ Nicandro in Alexipharmacis ſunt oculi, ut liquet ex his ejus verſibus:

Πολλάκι δ' ἠὲ πελιδνὸς ὄνυξ μό-
ρον, ἠέτι μυκτὴρ
στρεβλὸς ἀπαγγέλλει· Ὁτὲ δ' αὖ
κοιλωπέες αὐγαί.

Ubi κοιλωπέες αὐγαὶ juxta ſcholia ſunt οἱ ὀφθαλμοὶ κοῖλοι. 𝔇eȯl/ ἔλαιον. 𝔊åſta/ ἑστιᾷν. 𝔊ood morgon/ γαθλὴν ἡμέραν. 𝔅lind/ βλάνος, τυφλώδης. 𝔗rå/ δρῦς. Olim quippe Græci, ut oſtendit auctor Etymologici in δρύφακτος, πάντα τὰ ξύλα δρύας ἐκάλουν. 𝔏ȯſa/ λύειν. 𝔗and/ hinc τένδω, quod eſt comedo 𝔄lmoſa/ ἐλεημοσύνη. 𝔉lu/ φλοΐζειν. 𝔎unna/ κουνεῖν. 𝔏ius/ λύκη, prima lux ſolis ortum præcedens. A qua voce videntur Romani lucem deduxiſſe. Legatur Macrobius Lib. 1. Saturnal. cap. 17.

Strȯȯ/

Stróó/ *ϛρωννύειν.* Aika/ *ἄζα.* Bygg-gia/ *βύειν.* Ne quis miretur,quo modo *βύειν* ſit deductum a Byggia/ cum ſignificet obſtruere, obturare, ac peculiari quadam ratione obſtruere rimas muſeo, lino, ſtuppa, ſciat primam olim curam fuiſſe domicilium ſibi aliquid præparantium, ut contexta vimina diligenter oblinerent luto, quo illa ratione omnem venti flatum impedirent, ut docet Franciſcus Junius in Gothico Gloſſario. Maan/ *μάννος* vel *μάνος, ὁ περιτραχήλιος κόσμος,* genus ornamenti collaris, ut ſcribit Scholiaſtes Theocriti in *εἰδύλλια.* Quia juba equina, ſi culta fuerit, præcipuum eſt equi ornamentum. Taga/ *τάσειν.* Imperat. Tag du/ *τῆ.* Stall/ *ϛάλη.* Eſt enim *ϛάλη*, ut oſtendit Heſychius, *ταμεῖον κτηνῶν.* Hinc ſuam originem habet ſtalla, quia equi, qvum recenter veniunt in ſtabulum, tunc fere urinam

emittere ſolent. Kuſa pu / ὀρύειν. Stum / ἄστομος. Elendig / ἐλεεινός. Brojka / βρώσκειν. Fuul / φαῦλος. Kiàp / σκήπτων. Skarn / σκῶρ. Stielka / στέλεχος. Span / σπιθαμή. Nyker / μίσκελος. Skirta / σκιρτᾶν. As / ἄσις, limus, cænum. Kriſtir / κλυστήρ, Taſla / τάβλα. Stana / ſtu / ἱστάναι. Sinne / σύνεσις. Stinga / στίζειν. Trójka / τρόσκειν. Klappa op een / κολαφίζειν τινά. Slika / λείχειν. Vyka / εἴκειν. Gripa / γριπίζειν. quod proprie ſignificat piſcari, & deinde per translationem capere. Storm / στρόμβος, turbo, συστροφὴ ἀνέμων. Smacka / σμώχειν. Laſta / λᾶσθαι. Morra / μορμύρειν. Spy / πτύειν. Litet / λιτός. Rock / ῥάκος. Plura ſi in re tam clara congererem, ſupervacuæ operoſitatis merito arguerer. Hoc tantum dictis adjiciendum videtur, quod vox

πῦρ,

*πῦρ*, quam Plato in Cratylo e Græcia ut adulterinam ejecit, veram ſuam originem in patria noſtra invenerit. Nam **fur** juxta Eddam in Ignis appellationibus denotat ignem. Hinc **fyru** & **furu**/ pinus ob pingvedinem flammas facile concipiens, ut oſtendit in Atlantica cap. XXXVI. Vir Experientiſſimus Dn. Olaus Rudbeckius, cujus ingens ſtudium in aſſerenda Patriæ antiquitate omnis poſteritas loquetur. Prima vero inſignior ac notabilior Sveonum e Scanzia ſive Scandinavia, quæ officina gentium ac nationum vagina Jornandi de Rebus Geticis cap. 4. dicta, migratio ſub Berico anno mundi 2571. Othonide populi Iſraelitici judice, & quidem annis ante Chriſtum natum 1430, facta eſt, qua in Ægyptum, Græciam, Indiam, vel alium aliquem locum longe diſſitum, exundante hominum multitudine, excurrebant, ut fir-

mis argumentis probat Vir Ampliſſimus Dn. Olaus Rudbeckius in Atlantica c. XXXV. Cum his conferri poteſt Grotius in Prolegomenis Hiſtoriæ Gothicæ. Fallit ergo Arngrimus Jonas, vir doctiſſimus, cum dicit cap. 4. in de Rep. Islandica egreſſionem primam Sveonum 24 annis ante nativitatem Chriſti contigiſſe; procul dubio ex Edda ſeductus, in cujus prologo migrationes Sveonum e Scandia, Pompejo Aſiam vaſtante, confectæ eſſe traduntur: Aſt ſciendum hunc prologum recens quoddam eſſe commentum ex Mythologia Græca & Latina conſutum, nec pauca ſibi invicem contraria continere, ut monuere Verelius in Notis cap. 1. ad Hervarar Sagu, ac Sheringhamus in diſcept. de Anglorum Origine cap. 15. circa finem. De Migrationibus populorum ſeptentrionalium, poſt devictos a C. Mario Cimbros, legatur Hie-

Hieronymus Türlerus. Sveonibus & Gothis, longo poſt primam e natali ſolo egreſſionem temporis tractu, in Græciam tam frequens erat emigratio, quo cum popularibus ſuis cohabitarent, ita ut neceſſum eſſet lege publica, ne patria civibꝰ exhauriretur, illos, qui, relicta ea, in Græcia remanerent, hereditate excludere, ut liquet ex his verbis, quæ in legibus Veſtro-Gothorum habentur, titulo de Hereditat. cap. 12. λ. 2. Jng ſins mans arf takår / tån mani Girckland i ſittår. Hoc eſt, ut vertit Nobiliſſimus Stiernhielmius in Anti-Cluverio diſſert. 1. *Nullius* (in Gothia) *hereditatis capax eſto, qui in Græcia domicilium fixit.* Id quod ſatis etiam clare teſtantur Cippi veteres Runici in patria adhuc exſtantes, qui a parentibus & conſangvineis eorum, qui in Græcia animam amiſere, erecti ſunt. De qua re legantur Stiernhielmius

mius loco ſupra citato, Loccenius Antiquitat. Sveo-Gothicarum Lib. 3. c. 8. Schefferus in Upſalia Antiqua cap. 13. Viri celeberrimi ac de re litteraria optime meriti.

LXII. Non minus ad Græcarum litterarum propagationem ſcholæ, quæ in Græcia paſſim exſtructæ erant, quam ipſæ Coloniarum deductiones, ut theſi 47. 48. 49. oſtenſum eſt, fecerunt. Quamvis per commercia in Emporiis Græcorum, quæ habebantur frequentiſſima, notitia, uſusque Græci ſermonis ad alias etiam gentes translatus ſit: ad culturam tamen majorem & optimarum artium Græcis litteris comprehenſarum ad exteros derivationem maximum adjumentum ſcholæ adtulerunt. Quæ cum quam plurimæ eſſent: hæc tamen ceteris longe clarior ac nobilior erat, nempe Athenienſis. Quæ cum floruerit omni ſci-

en-

entiarum genere, quarum mater ac nutrix erat, laude tamen eloquentiæ, quæ otii ſocia & bene conſtitutæ civitatis quaſi alumna quædam eſt, adeo fuit clariſſima, ut in proverbium abierit, Atticus lepos, Attica eloquentia, pro ſumma. Hac enim pluribus annis, quam univerſa Græcia, uberiusque floruit; *adeo ut corpora gentis illius ſeparata ſint in alias civitates, ingenia vero ſolis Athenienſium muris clauſa exiſtimes*, ut loquitur Vellejus Lib. 1. c. 18. Cum his confer Iſocratem in Panegyrico. Quocirca Plato gratias agebat naturæ, quod homo natus eſſet, non mutum animal, quod mas, non femina, quod Græcus, non Barbarus, quod Athenienſis potius, quam Thebanus, ſicuti refert Lactantius Lib. 3. cap. 18. Cui Academiæ ob litteras, facundiam & ordinem civilis diſciplinæ tantus honor tributus eſt, ut honeſtiſſimum judica-

dicaretur Athenis ſtuduiſſe. Quapropter nobiliſſimi quique Romani Athenas ad capiendum ingenii cultum proficiſcebantur. Cicero, qui ſummum eloquentiæ intulit lumen, relictis iis magiſtris, quibus in urbe uſus fuerat, poſtquam biennium eſſet verſatus in cauſſis, & in foro eloquentia magnam jam gloriam partam haberet, ob uberioris ſcientiæ deſiderium Athenas adivit, ut ipſe fatetur in Bruto ſeu in de Claris Oratoribus. Quo & filium ſuum, quem unice amabat, tanquam ad mercaturam bonarum artium miſit, quo ſuo ipſius exemplo Græca cum Latinis conjungeret: idqve non in philoſophia ſolum, ſed in dicendi quoque exercitatione. Pomponius Atticus, omnium prope artium ingenuarum fundamentis haud infideliter jactis, Athenas ſe contulit, ſcientiam numeris omnibus abſolutam relaturus;

quod

quod in vita ejus memorat Corn. Nepos. Et hinc non modo cognomen reportavit, quod ſic Græce loqueretur, ut natus Athenis videretur, ſed moderationem quoque animi & humanitatem atque prudentiam. Et innumeri alii Athenas ſtudiorum gratia ivere, quos recenſere ſupervacaneum eſt. Nec tantum Romani, Aſiatici, verum & remotiſſimi populi, ut Scythæ, Athenas conceſſere Græcorum inſtituta percepturi. Hinc Anacharſis Scytha e Græcia varia eruditione repletus in Patriam redux, cum Græcas leges, immutatis patriis, in Scythiam toto conatu inducere niteretur, a fratre in venatione telo confoſſus cecidit. Legatur Diogenes Laërtius Lib. 1. in Anacharſi. Quin & eo tanquam ad ſapientiæ mercatum mittebantur ex omnibus Orbis partibus Reges, Regumque filii. Juſtinus Lib. 17. cap. 3. de Arryba Epiri Rege:

Abaris filius cujusdam Seuthæ inter Scythas, qui Oracula, quæ appe lata ſunt Scythica, ſcripſit. Hunc Acragantinorum tyrannus Phalaris

(*ὃν ταύρῳ χαλκέῳ καυ-*
*τῆρα νηλέα νόον,*
*ἐχθρὰ κατέχει παντᾶ*
*Φάτις*, ut canit Pindarus Pythior. Ode 1. hoc eſt: *Quem tauro æneo combuſtorem animo immitem odioſa tenet ubique fama*) cum, teſte Luciano tom. 3. in Phalaride primo, liberaliter eſſet educatus, ac ingenuis diſciplinis artibusque eximie imbutus, ob famam doctrinæ ejus, epiſtola quadam, quæ adhuc inter epiſtolas ejus reperitur, ad ſe in Siciliam arceſſivit; verum ad eum ob ſævum & crudele ipſius ingenium non acceſſit, ut videre eſt ex ipſius Epiſtola reſponſoria apud Franciſcum Philelphum ſuæ ætatis hominem doctum Conviviorum Lib. 2. vel Opere de qvarun-

rundam diſciplinarum ortu & incremento, ut Joanni Ludovico Vivi aliisque placet. De cetero, Scythas, qui non minus illuſtria initia, quam imperium habuere, ſingulari quadam mentis ſollertia in rerum naturalium cognitione fuiſſe præditos ac inſtructos, ſatis oſtenſum it illa ipſorum apud Juſtinum Lib. 2. cap. 1. cum Ægyptiis de generis antiquitate contentio. Et certe, hinc etiam liquet non rudem & inconditum Scythis ſenſum fuiſſe, cum natura hoc ipſis dederit, quod Græci longa ſapientium doctrina, præceptisque philoſophorum conſequi nequivere, ut refert Juſtinus libro ſuperius nominato cap. 2.

LXI. Expeditione Gothorum prima eo res eſt deducta, ut litteræ Græcæ ab his locis viam ad exteros invenerint. Quod evidenter oſtendit Lingvæ Græcæ cum Gothica conformitas, ac pro-

pior cognatio; quæ mille probari poteſt vocabulis: e quibus hæc pauca, ordine alphabetico neglecto, ſunto: Stoppa/ ςύφω, Knå/ κνήμη. Nåås/ νῆσος. Hytlery/ ὕθλος. Flåder/ φλεδών. Skielm/ χέτλιος. Kyſſa/ κῦσαι. Art/ ἀρετή. Salt/ ἅλς. Kiſta/ κίςη. Ankar/ ἄγκυρα. Lampa/ λαμπάς. Mana/ μήνη. Een/ ἕν. Enigheet/ ἑνότης. Yxa/ ἀξίνη. Klang/ κλαγγή. Sod/ Ζωμός. Buſka/ βοσκή. Tåna/ τείνειν. Spyſa/ σπίζειν. Kåla/ κηλεῖν. Gràs/ γράσις. Aln/ ὠλένη. Senap/ σίναπι. Hinc σιναπιᾷν, vultum ducere, quod proprie dicitur de ægre aliquid ferentibus. Spàrka/ cum dicitur de motu animantium cum morte colluctantium, ἀσπαίρειν, σπαίρειν. Reta/ ἐρέθειν. Falla/ σφάλλεσθαι. Kittel/ vas, quo quivis continetur liquor, χύτλος & χύτλον. Eſt autem juxta

Scho-

Scholiaſten Apollonii Argonautic. l. 2. ὁ χύτλ☉ proprie τὸ μεθ' ὕδατ☉ ἔλαιον. Unde χύτλον etiam denotat τὸ ἐλαιοδόχον ἀγγεῖον, ἐν ᾧ εἶχον οἱ παλαιοὶ τὸ ἔλαιον, ᾧ μετὰ τὸ λούσασθαι ἐχρίοντο. Id eſt: Vas oleariun, ſive quod oleum continebat, in quo habebant veteres oleum, quo poſt lavationem ungebantur. Pa, via, πάτ☉. Hinc Medelpadia ſuum habet nomen; quia illa provincia eſt media quaſi inter Helſingiam & Angermanniam. Kloo / χηλή. Slabra / ſive Slapra / λαβράζειν. Quod eſt, juxta ſcholia in Nicandri Ἀλεξιφάρμακα, ἐν τῷ δήμῳ λάβρως φωνεῖν. Klöſter / κλαῖστρον. Broma / βρέμειν. Een bromare / eller den / Hwilken bromar op / βρόμι☉. Ex quo Pindaro φόρμιγξ Nemeor. Ode 9. ob ſonum, quem edit, dum pullatur, dicitur βρομία. Tull / τέλ☉. Säk / σάκ-

 κ☉.

κ☉. Bätre/ βέλτερ☉. Diur/ θήρ. ôga/ αὐγή. Nam αὐγαὶ Nicandro in Alexipharmacis ſunt oculi, ut liquet ex his ejus verſibus:

Πολλάκι δ᾽ ἠὲ πελιδνὸς ὄνυξ μόρον, ἠέτι μυκτὴρ
στρεβλὸς ἀπαγγέλλει· Ὀτὲ δ᾽ ἂν κοιλωπέες αὐγαί.

Ubi κοιλωπέες αὐγαὶ juxta ſcholia ſunt οἱ ὀφθαλμοὶ κοῖλοι. Oeôl/ ἔλαιον. Gâſta/ ἑστιᾷν. Good morgon/ γαθὴν ἡμέραν. Blind/ βλάν☉, τυφλώδης. Trä/ δρῦς. Olim quippe Græci, ut oſtendit auctor Etymologici in δρύφακτ☉, πάντα τὰ ξύλα δρύας ἐκάλουν. Lôſa/ λύειν. Tand/ hinc τένδω, quod eſt comedo Almoſa/ ἐλεημοσύνη. Flu/ φλοίζειν. Kunna/ κοννεῖν. Lius/ λύκη, prima lux ſolis ortum præcedens. A qua voce videntur Romani lucem deduxiſſe. Legatur Macrobius Lib. 1. Saturnal. cap. 17.

Strôô/

Strőő/ *ςρωννύειν*. Aika/ *ἅζα*. Byggia/ *βύειν*. Ne quis miretur, quo modo *βύειν* ſit deductum a Byggia/ cum ſignificet obſtruere, obturare, ac peculiari quadam ratione obſtruere rimas muſeo, lino, ſtuppa, ſciat primam olim curam fuiſſe domicilium ſibi aliquid præparantium, ut contexta vimina diligenter oblinerent luto, quo illa ratione omnem venti flatum impedirent, ut docet Franciſcus Junius in Gothico Gloſſario. Maan/ *μάννος* vel *μάνος*, *ὁ περιτραχήλιος κόσμος*, genus ornamenti collaris, ut ſcribit Scholiaſtes Theocriti in *εἰδύλλια*. Quia juba equina, ſi culta fuerit, præcipuum eſt equi ornamentum. Taga / *τάειν*. Imperat. Tag du / *τῆ*. Stall/ *ςάλη*. Eſt enim *ςάλη*, ut oſtendit Heſychius, *ζαμεῖον κτηνῶν*. Hinc ſuam originem habet ſtalla, quia equi, qvum recenter veniunt in ſtabulum, tunc fere urinam

emittere ſolent. Kuſa pu / ὀρύσσειν. Stum / ἄςομος. Elendig / ἐλεεινός. Brojka / βρώσκειν. Fuul / φαῦλος. Kiàp / σκήπτων. Skarn / σκῶρ. Stielka / ςέλεχος. Span / σπιθαμή. Nijker / μίσκελος. Skirta / σκιρτᾶν. As / ἄσις, limus, cænum. Kriſtir / κλυςήρ, Taſla / τάβλα. Stana / ſtu / ἱςάναι. Sinne / σύνεσις. Stinga / ςίζειν. Trójka / τρόσκειν. Klappa op een / κολαφίζειν τινά. Slika / λείχειν. Vyka / εἴκειν. Gripa / γριπίζειν. quod proprie ſignificat piſcari, & deinde per translationem capere. Storm / ςρόμβος, turbo, συςροφὴ ἀνέμων. Smacka / σμώχειν. Laſta / λᾶσθαι. Morra / μορμύρειν. Spy / πτύειν. Litet / λιτός. Rock / ῥάκος. Plura ſi in re tam clara congererem, ſupervacuæ operoſitatis merito arguerer. Hoc tantum dictis adjiciendum videtur, quod vox

πῦρ,

πῦρ, quam Plato in Cratylo e Græcia ut adulterinam ejecit, veram ſuam originem in patria noſtra invenerit. Nam **fur** juxta Eddam in Ignis appellationibus denotat ignem. Hinc **fyru** & **furu**/ pinus ob pingvedinem flammas facile concipiens, ut oſtendit in Atlantica cap. XXXVI. Vir Experientiſſimus Dn. Olaus Rudbeckius, cujus ingens ſtudium in aſſerenda Patriæ antiquitate omnis poſteritas loquetur. Prima vero inſignior ac notabilior Sveonum e Scanzia ſive Scandinavia, quæ officina gentium ac nationum vagina Jornandi de Rebus Geticis cap. 4. dicta, migratio ſub Berico anno mundi 2571. Othonide populi Iſraelitici judice, & quidem annis ante Chriſtum natum 1430, facta eſt, qua in Ægyptum, Græciam, Indiam, vel alium aliquem locum longe diſſitum, exundante hominum multitudine, excurrebant, ut fir-

mis argumentis probat Vir Ampliſſimus Dn. Olaus Rudbeckius in Atlantica c. XXXV. Cum his conferri poteſt Grotius in Prolegomenis Hiſtoriæ Gothicæ. Fallit ergo Arngrimus Jonas, vir doctiſſimus, cum dicit cap. 4. in de Rep. Islandica egreſſionem primam Sveonum 24 annis ante nativitatem Chriſti contigiſſe; procul dubio ex Edda ſeductus, in cujus prologo migrationes Sveonum e Scandia, Pompejo Aſiam vaſtante, confectæ eſſe traduntur: Aſt ſciendum hunc prologum recens quoddam eſſe commentum ex Mythologia Græca & Latina conſutum, nec pauca ſibi invicem contraria continere, ut monuere Verelius in Notis cap. 1. ad Hervarar Sagu, ac Sheringhamus in diſcept. de Anglorum Origine cap. 15. circa finem. De Migrationibus populorum ſeptentrionalium, poſt devictos a C. Mario Cimbros, legatur Hie-

Hieronymus Türlerus. Sveonibus & Gothis, longo poſt primam e natali ſolo egreſſionem temporis tractu, in Græciam tam frequens erat emigratio, quo cum popularibus ſuis cohabitarent, ita ut neceſſum eſſet lege publica, ne patria civib9 exhauriretur, illos, qui, relicta ea, in Græcia remanerent, hereditate excludere, ut liquet ex his verbis, quæ in legibus Veſtro-Gothorum habentur, titulo de Hereditat. cap. 12. λ.2. Jng ſins mans arf takår / tån mani Girckſandi ſittår. Hoc eſt, ut vertit Nobiliſſimus Stiernhielmius in Anti-Cluverio diſſert. 1. *Nullius* (in Gothia) *hereditatis capax eſto, qui in Græcia domicilium fixit.* Id quod ſatis etiam clare teſtantur Cippi veteres Runici in patria adhuc exſtantes, qui a parentibus & conſangvineis eorum, qui in Græcia animam amiſere, erecti ſunt. De qua re legantur Stiernhielmius

mius loco ſupra citato, Loccenius Antiquitat. Sveo-Gothicarum Lib. 3. c. 8. Schefferus in Upſalia Antiqua cap. 15. Viri celeberrimi ac de re litteraria optime meriti.

LXII. Non minus ad Græcarum litterarum propagationem ſcholæ, quæ in Græcia paſſim exſtructæ erant, quam ipſæ Coloniarum deductiones, ut theſi 47. 48. 49. oſtenſum eſt, fecerunt. Quamvis per commercia in Emporiis Græcorum, quæ habebantur frequentiſſima, notitia, uſusque Græci ſermonis ad alias etiam gentes translatus ſit: ad culturam tamen majorem & optimarum artium Græcis litteris comprehenſarum ad exteros derivationem maximum adjumentum ſcholæ adtulerunt. Quæ cum quam plurimæ eſſent: hæc tamen ceteris longe clarior ac nobilior erat, nempe Athenienſis. Quæ cum floruerit omni ſcien-

entiarum genere, quarum mater ac nutrix erat, laude tamen eloquentiæ, quæ otii ſocia & bene conſtitutæ civitatis quaſi alumna quædam eſt, adeo fuit clariſſima, ut in proverbium abierit, Atticus lepos, Attica eloquentia, pro ſumma. Hac enim pluribus annis, quam univerſa Græcia, uberiusque floruit; *adeo ut corpora gentis illius ſeparata ſint in alias civitates, ingenia vero ſolis Athenienſium muris clauſa exiſtimes*, ut loquitur Vellejus Lib. 1. c. 18. Cum his confer Iſocratem in Panegyrico. Quocirca Plato gratias agebat naturæ, quod homo natus eſſet, non mutum animal, quod mas, non femina, quod Græcus, non Barbarus, quod Athenienſis potius, quam Thebanus, ſicuti refert Lactantius Lib. 3. cap. 18. Cui Academiæ ob litteras, facundiam & ordinem civilis diſciplinæ tantus honor tributus eſt, ut honeſtiſſimum judica-

dicaretur Athenis ſtuduiſſe. Quapropter nobiliſſimi quique Romani Athenas ad capiendum ingenii cultum proficiſcebantur. Cicero, qui ſummum eloquentiæ intulit lumen, relictis iis magiſtris, quibus in urbe uſus fuerat, poſtquam biennium eſſet verſatus in cauſſis, & in foro eloquentia magnam jam gloriam partam haberet, ob uberioris ſcientiæ deſiderium Athenas adivit, ut ipſe fatetur in Bruto ſeu in de Claris Oratoribus. Quo & filium ſuum, quem unice amabat, tanquam ad mercaturam bonarum artium miſit, quo ſuo ipſius exemplo Græca cum Latinis conjungeret: idqve non in philoſophia ſolum, ſed in dicendi quoque exercitatione. Pomponius Atticus, omnium prope artium ingenuarum fundamentis haud infideliter jactis, Athenas ſe contulit, ſcientiam numeris omnibus abſolutam relaturus;

quod

quod in vita ejus memorat Corn. Nepos. Et hinc non modo cognomen reportavit, quod ſic Græce loqueretur, ut natus Athenis videretur, ſed moderationem quoque animi & humanitatem atque prudentiam. Et innumeri alii Athenas ſtudiorum gratia ivere, quos recenſere ſupervacaneum eſt. Nec tantum Romani, Aſiatici, verum & remotiſſimi populi, ut Scythæ, Athenas conceſſere Græcorum inſtituta percepturi. Hinc Anacharſis Scytha e Græcia varia eruditione repletus in Patriam redux, cum Græcas leges, immutatis patriis, in Scythiam toto conatu inducere niteretur, a fratre in venatione telo confoſſus cecidit. Legatur Diogenes Laërtius Lib. 1. in Anacharſi. Quin & eo tanquam ad ſapientiæ mercatum mittebantur ex omnibus Orbis partibus Reges, Regumque filii. Juſtinus Lib. 17. cap. 3. de Arryba Epiri Rege:

ge: Athenas audiendi gratia miſſus; quanto doctior majoribus ſuis, tanto & gratior populo fuit. Ut rem paucis complectar, nemo apud veteres perfectus philoſophus & ſummus Orator habebatur, qui litteris Athenis operatus non eſſet.

LXIII. Nec mirum Latinos ac reliquas nationes eas artes, quas cum domo haurire non poſſent, arceſſiviſſe ex urbe ea, quæ domus doctrinæ habebatur, cum Græcæ litteræ plura ſuppeditarint ornamenta quam ullæ aliæ & Athenienſium ſemper fuerit prudens ſincerumque judicium, nihil ut poſſent niſi incorruptum audire & elegans. Quam ob cauſſam apud eos tanta patrii accentus erat cuſtodia ac diligentia, ut ſi quem peregrinum aut civem in accentu labi deprehendiſſent, eum ſtatim graviter irriderent. Ex quo, ut alios in præſentia ſileam, Demoſthenes, quo

quo nec gravior exſtitit quisquam, nec callidior, nec temperantior, cum ſæpius in publicis concionibus a tono deflecteret nativo, ſic ab Athenienſibus exagitatus eſt, ut, ſpe omni forenſium rerum damnata, de alio vitæ genere ineundo cogitarit, niſi illum ſenex quidam nomine Eunomus Thriaſius revocaſſet. Vide ſis Plutarchum in vita Demoſthenis, ac in eo libello, an natu grandiori ſit gerenda Reſp. Qvare, cum lingvam longa dicendi oratione acuiſſet jam eloqventia pollens, qvo Æſchinem ſuum adverſarium in celeberrimo totius Græciæ conventu a Regis Macedonum legatis pecunia corruptum acute oſtenderet, in illa pro Cteſiphonte Oratione longe optima illum μίσθωτον vitioſo ac inſolenti accentu nominavit, quo ab auditoribus, qvos ſcivit accentus patrii eſſe valde ſtudioſos, teſtimonium extorqveret. Nec ſpe la-

pſus eſt: qvippe ubi μίσθωτον dixit, ſtatim vel a populo vel a Menandro correctum, ſummo clamore in hunc modum erumpentibus, μισθωτόν. Qva reprehenſione audita, ſubjunxit, qvaſi omnium ſententia criminis intentati convictus eſſet: ἀκούεις ἃ λέγουσι; audis ne qvid dicant? Placet in gratiam Lectoris ipſum locum ſubnectere: Ἀλλὰ μισθωτὸν ἐγώ σε Φιλίππου πρότερον, καὶ νῦν Ἀλεξάνδρου καλῶ, καὶ οὗτοι πάντες. εἰ δ' ἀπιστεῖς, ἐρώτησον αὐτούς. μᾶλλον δ' ἐγὼ τοῦθ' ὑπέρ σου ποιήσω. πότερον ὑμῖν, ὦ Ἄνδρες Ἀθηναῖοι μίσθωτος Αἰσχίνης, ἢ ξένος εἶναι Ἀλεξάνδρου δοκεῖ; ἀκούεις ἃ λέγουσι; *At ego te cum antea Philippi, tum hoc tempore Alexandri mercenarium dico, item hi omnes, quos ad hoc judicium convenisſe vides. Quod ſi non credis, eos interrogato, ſodes. Quin egomet pro te hoc*

*hoc faciam. Utrum vobis Athenienſes videtur Æſchines Alexandri mercenarius eſſe an hoſpes? audis, quid dicant?* Ad qvem locum Ulpianus ita commentatur: Τινὲς εἰρήκασιν ὅτι ἑκὼν ἐν τῷ ἐρωτᾶν ὁ ῥήτωρ ἐβαρβάρισεν ἐξεπίτηδες, μίσθωτον λέγων· Εἶτα ἐπελάβετό τις αὐτοῦ, ὡς διορθούμενος, καὶ ἐβόησε τῷ ἰδίῳ τόνῳ μισθωτός. εἶτα τὴν διόρθωσιν ἀπόκρισιν καὶ βεβαίωσιν εἴρηκεν. Οἱ δέ φασιν ὡς Μένανδρος ὁ κωμικὸς φίλος ὢν αὐτοῦ, καὶ ὢν ἐν τοῖς δικασταῖς, ἀπεκρίνατο χαριζόμενος· καὶ τοῦ ἑνὸς τὴν φωνὴν ὡς τῶν πάντων ἐδέξατο. Hoc eſt: *Quidam dixerunt Oratôrem ultro & de induſtria* μίσθωτος *barbare pronunciaviſſe inter interrogandum; ac deinde ab aliquo reprehenſum, emendante ac clamante ſuo jam tono nativo* μισθωτός. *Poſtea Demoſthenem correctionem pro reſponſo &*

*confirmatione amplexum. Alii dicunt Menandrum Comicum, amicum ejus, ſedentem in numero judicum, reſpondiſſe in ejus gratiam: cujus vocem unius ut univerſorum acceperit.*

LXIV. Qvo vero facilius Græca lingva a peregrinis addiſceretur, accentuum ſcribendorum ratio uſurpari cœpta eſt. Antiqvi enim Græci eos adponendo non pingebant, ſed loqvendo pronunciabant, cum ſimul cum nutricis lacte accentuum rationem haurirent. Qvod præter vetuſtiſſimos codices, in qvibus nulla accentuum ſigna depicta cernuntur, ſatis liqvido ex Ariſtotele patet, qvi cap. 3. Elenchων, dum Sophiſtarum in argumentando argutias aperit, id clariſſimis expreſſit verbis, cum ſcribit: παρὰ δὲ τὴν προσῳδίαν ἐν μὲν τοῖς ἄνευ γραφῆς διαλεκτικοῖς οὐ ῥᾴδιον ποιῆσαι λόγον, ἐν δὲ τοῖς γεγραμμένοις ἢ ποιήμασι μᾶλλον. Id

eſt:

eſt: *Ex accentu quidem in iis, quæ ſine ſcripto fiunt, concertationibus Dialecticis non eſt facile Sophiſticum ſermonem facere, in ſcriptis autem & poëmate multo magis.* Qvorum verborum hic ſenſus eſſe poteſt: Græci qvum ſumma cum diſtinctione nec minori accuratione accentus loqvendo pronunciaverint, ideo in mutuis diſceptationibus Dialecticis, in qvibus alter argumenta proponebat, alter eadem in adverſarium retundebat, non facile erat ex accentu captionem aliqvam contexere; at in ſcriptis ſæpius ex accentus ambiguitate contentiones graviſſimæ, cum non ſcriberentur, exortæ atqve natæ. Itaqve non dubium, qvin in teſtamentorum ac aliarum rerum graviorum tabulis rari fuerint accentus ab antiqvis poſiti, in primis ſi occurrerent vocabula, qvæ ex accentus diverſitate diverſum inferrent ſen-

ſum: alias inde non minores forenſium litium cauſſæ, qvam olim apud Romanos ex notis qvibusdam ad celeriter & breviter ſcribendum inventis naſcerentur. Cum his conferatur Voſſius in de Arte Grammat. Lib. 2. cap. 8. Accentus in ſingulis verbis ſive dictionibus eo, procul dubio, tempore collocari cœperunt, qvo, aut Romani adoleſcentes eloqventiæ, ac aliorum altiorum ſtudiorum deſiderio incenſi Athenas proficiſcebantur, aut ad docendum Athenis Romam clari ac illuſtres cum Rhetores tum Grammatici arceſſebantur. Qvippe non eſt veriſimile Romanos tam cito Græcæ lingvæ cognitionem adipiſci potuiſſe, ut ſcribitur de P. Crasſo apud Valerium Max. Lib. 8. cap. 7. qvod tempore breviſſimo, nempe ſub ipſa navigatione ac itinere, cum in Aſiam ad Ariſtonicum debellandum misſus eſſet, tantam Græcæ lingvæ notitiam animo comprehenderit, ut eam in qvin-

qvinqve diviſam genera per omnes partes ac numeros penitus cognoſceret, niſi ſigna tonorum ſcripta habuisſent, qvibus tanqvam ſubſidiis ac adminiculis in ea paranda fulti ac ſubnixi ſint. Qvin & probabile eſt ipſos, etiam Græcos, ætate Ciceronis, accentuum notis in dictionibus uti cœpiſſe, ne freqventes de ſono antiqvo difficultates ac lites orirentur, cum Romani ſua lingva jus ubiqve dicentes non parum Græcam minuerent, & Aſiatici homines, referente Cicerone Lib. 3. de Orat. capti nomine urbis & auctoritate Athenas advolantes ſvavitatem Græcæ lingvæ, qvæ Atticorum maxime propria erat, peregrina in pronunciatione inſolentia corrumperent. Nam qvamvis Aſiatici homines eſſent doctiſſimi; tamen qvivis Athenienſis indoctus eos non verbis ſed ſono vocis ſuperabat. Qvi plura hac de re cognoſcere avet,

adeat Gvillielmum Baillium in de Accentibus Græcorum, Iſaacum Voſſium in Libello de Poëmatum cantu & Viribus Rhythmi, atq; Henninium in Ἑλλωνισμῷ Ὀρθῳδῷ. Verum de his ſatis.

LXV. Academia Athenienſium, ut nihil jam dicam de Illuſtribus Lacedæmoniorum, Corinthiorum ac Cretenſium gymnaſiis, non longe dignitate ac claritate inferior erat univerſitas Rhodiorum. Nam omnes ferme, qvi magnis mentem adplicabant, Rhodum, qvæ gloria navali, & litterarum ſtudiis valde celebris erat, ſe contulere, muſarum ſacris operaturi. Qvo alluſit Pindarus, fingens Olymp. Ode 7. Jovem Rhodios χρυσαῖς νιφάδεσι, hoc eſt, *aureis nivibus* irrigaſſe, qvod primi genitæ a ſe Minervæ aram ſtruxerint, & ſacra fecerint, nullo tamen adhibito igne: qvem cum Athenienſes adtuliſſent,

ſent, Minervam Athenas prætuliſſe: qvod ſcilicet Rhodii ſtudiis gravioribus dediti, minori ardore, qvam Athenienſes, ſtudium Oratorium colerent. Cum in ea civitate omne doctrinarum genus a viris eruditione, & induſtria maximis aſſiduiſſime ac accuratiſſime traderetur, Pompejus, qvi victor erat omnium, qvas adierat, gentium, ſuoqve & civium voto major, ex Aſia, ut ſcribit Plutarchus in ejus vita, multorum regnorum ſpoliis ornatus cum decederet, illam adiit, ac omnes ingenuarum artium doctores in Gymnaſiis de ſuis qvemqve rebus diſſerentes diligenter audivit. Et qvo perpetuæ erga doctos voluntatis ſuæ exſtaret teſtimonium; talentum unicuiqve dari juſſit. Poſidonio vero Sloicorum maximo, qvem Cicero tanti fecit, ut ei ſuum de conſulatu ὑπόμνημα emendandum transmiſerit, cum graviter podagra æ-

ger decumberet, tantum honorem detulit eum auditurus, ut vetuerit a lictoribus de more pulſari ejus fores. Sic unius hominis privati januæ ob ſapientiæ dignitatem faſces ſubmiſit is, cui ſe oriens occidensqve ſubmiſerat: Id qvod tradit Plinius Lib. 7. cap. 30. Rhodum etiam Cicero, vir in omnibus, qvæ in qvoqve laudantur, eminentiſſimus, metu Sullæ, peragrata tota Aſia, ſtudiorum gratia acceſſit. Ubi ſe ad Molonem, ut ipſe in Bruto ſeu de claris Oratoribus ſcribit, qvem prius Romæ audiverat, cum, Dictatore Sulla, ad ſenatum de Rhodiorum præmiis veniret, virum in inſtituendo ac docendo prudentiſſimum adplicuit, non contentus tota Aſia illis temporibus oratoribus diſertiſſimis. Qvin & Tiberius, referente Svetonio in ejus vita cap. 11. cum Rhodi ſpecie exceſſus exulem ageret, circa ſcholas & auditoria pro-

fes-

ſeſſorum tam aſſiduus erat, ut motis inter antiſophiſtas gravioribus jurgiis ſe interponere non dubitarit. In hac Academia præter alios qvam plurimos inſignes & eruditos viros, qvorum nomina apud Strabonem legas Lib. 14. docuit & Panætius, non minus profesſionis gloria qvam ſtirpis clarus. Hunc in libris de Officiis Cicero magno cum ſtudio maximoqve opere æmulatus eſt. Legatur Gellius Lib. 13. c. 27. Æſchines ſummus ille Athenienſis Orator, ac infeſtiſſimus Demoſthenis adverſarius, cum propter judicialem ignominiam, relictis Athenis, Rhodum petiviſſet, quod memoratu dignum eſt, in eam ſtudia Athenarum intulit. Hinc ſapor ille Atticus peregrino mixtus. Nam ut ſemel, qvo rem altius arceſſam, e Pireæo eloqventia evecta eſt, ita ſe externis oblevit moribus, ut ſalubritatem Atticæ dictionis qvaſi ſanitatem

tem perderet. Hinc triplex dicendi genus exortum eſt, nempe Atticum, Aſiaticum, Rhodium. Atticum erat limatum & emunctum, nihil inane aut redundans ferens: Aſiaticum inflatum, verbis volucre atqve incitatum, adeo ut Aſiaticis Oratoribus judicium maxime ac modus deeſſet: Rhodium lentum ac remiſſum non tamen ſine pondere, ex Attico ac Aſiatico velut miſtum. Unde Rhodii oratores non ita preſſi, ut Attici, neqve abundantes ut Aſiatici. Horum dicendi generum longe optimum erat Atticum. Adeantur Qvinctil. Inſtit. Orat. Lib. 12. cap. 10. Angelus Politianus in Præfat. in Qvinctilianum, Taubmannus in Diſſertatione de Lingva Latina.

LXVI. Academiis ſupra nominatis nempe Athenienſium ac Rhodiorum in cultu Græcarum litterarum, ac earum in alias gentes derivatione non

ces-

ceſſit Academia Alexandrina, ſic dicta ab urbe Alexandria, qvæ Romæ opibus ac populi freqventia magnitudineqve fere æqvabatur, ut Herodianus teſtatum reliqvit his verbis Lib. 4. cap. 3. Τῇ τε βασιλεία τῇ ἀυτοῦ ἀυτάρκῃ ἔσεσθαι ὑποδοχὴν ὁ Γέτας ἔλεγεν, ἢ τὴν Ἀντιόχειαν, ἢ τὴν Ἀλεξάνδρειαν, οὐ πολύ τι τῆς ῥώμης, ὡς ᾤετο, μεγέθει ἀπολειπούσας. Hoc eſt: *Sedes imperii ſui Geta deſtinabat Antiochiam vel Alexandriam, urbes magnitudine haud longe infra Romam.* Hinc ſpeciatim dicta πόλις, ut Athenæ ἄςυ, Roma urbs. Qvod indicat Epitomator Stephani: Ἀλεξάνδρεια, ἡ Ἀιγυπτία, ἥτοι λίβυσσα, ἐλέγετο, κατ' ἐξοχὴν πόλις. καὶ πολῖται οἱ ἐξ ἀυτῆς, ὡς Ἄςυ αἱ Ἀθῆναι, καὶ Ἀςυκοὶ οἱ Ἀθηναῖοι. ὡς καὶ ἐπὶ ῥώμης λέγεται Ουρψ. Academiam hanc muſis & ſtudiis litterarum fuiſſe celeberrimam

te-

teſtatur Medicinæ ſtudium, qvo ita floruit, ut, ſi qvis Alexandriæ medicinæ operam dediſſet, pro ſummo haberetur medico, ut videre eſt ex his Ammiani Marcellini verbis Lib. 22. *Medicinæ autem, cujus in hac vita noſtra, nec parca nec ſobria, deſiderantur adminicula crebra, ita ſtudia augentur in dies, ut licet opus ipſum redoleat, pro omni tamen experimento ſufficiat medico ad commendandam artis auctoritatem, ſi Alexandriæ ſe dixerit eruditum.* Herodotus Lib. 2. tradit priſcis Ægyptiis ad ſingula membra humana fuiſſe ſingulares medicos. Verba ejus hæc ſunt Lib. 2. ἡ δὲ ἰητρικὴ κατὰ τάδε σφι δέδασται. μιῆς νούσου ἕκαστος ἰητρός ἐστι, καὶ οὐ πλεόνων. πάντα δ' ἰητρῶν ἐστι πλέα. οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν ἰητροὶ κατεστέασι. οἱ δὲ κεφαλῆς. οἱ δὲ, ὀδόντων. οἱ δὲ, τῶν κατὰ νηδύν. οἱ δὲ, τῶν ἀφανέων νούσων. Hoc eſt:

*Jam*

*Jam vero medicina apud eos hunc in modum eſt diſtributa, ut ſingulorum morborum ſint medici, non plurium. Itaque omnia referta ſunt medicis. Alii enim ſunt oculorum, alii capitis, alii dentium, alii alvi partium, alii morborum occultorum.* Μουσεῖον ſive locum ſtudiis conſecratum, a Zacharia Scholaſtico in dialogo de Opificio mundi contra philoſophos æternitatem ei adſcribentes, τὸ τέμενος τῶν μουσῶν dictum ita deſcribit Strabo lib. 17. τῶν δὲ βασιλέων μέρος ἐστὶ καὶ τὸ μουσεῖον, ἔχον περίπατον καὶ ἐξέδραν, καὶ οἶκον μέγαν, ἐν ᾧ τὸ συσσίτιον τῶν μετεχόντων τοῦ μουσείου φιλολόγων ἀνδρῶν. ἔστι δὲ τῇ συνόδῳ ταύτῃ καὶ χρήματα κοινὰ, καὶ ἱερεὺς ὁ ἐπὶ τῷ μουσείῳ τεταγμένος, τότε μὲν ὑπὸ τῶν βασιλέων, νῦν δ' ὑπὸ καίσαρος. Hoc eſt: *Pars etiam regiarum eſt muſeum quod deambulationem habet, &*

*exe-*

*exedram,& maximam domum,in qua cænaculum eſt eorum,qui muſei conſortes ſunt, ac litteris humanioribus ſtudium impendunt. Hoc collegium publice pecunias habet & ſacerdotem, qui Muſeo praeſt, olim a Regibus nunc a Cæſare conſtitutum.* Qvorum verborum uberiorem expoſitionem vide ſis apud Juſtum Lipſium in Syntagmate de Bibliothecis cap. 11. ſive ultimo, ac apud Caſp. Barthium in notis ad Zachariæ Scholaſtici Chriſtiani, de Opificio mundi, dialogum. Muſei hujus inſtitutionis auctorem fuiſſe Ptolomæum Philadelphum putat Caſaubonus in notis ad Svetonium in Tiberio Claudio cap. 42. Doctos in hoc Muſeo, Ægypto in provinciæ formam redacta, non minori liberalitate Auguſtus, Tiberius ac reliqvi principes foverunt. Nam a Claudio principe veteri Muſeo alterum adjectum eſt ex ipſius no-

nomine, ut ſcribit Svetonius in Claudio, ſupra citato capite. Diruiſſe hoc cum aliis, qvod tamen poſtea reſtitutum eſt, videtur Antoninus Caracallus, qvi ab Oraculo in vituperium appellatus eſt Ἀυσόνι@ θήρ. Legatur Xiphilinus in Caracallo. Ad hoc illuſtre eruditionis templum ac delubrum, qvaſi ad alteras Athenas, qvibus natales ac incunabula ſua debet, qvi vel Reip. jam deſtinati, vel in contemplatione vitæ fructum habituri erant, ſe conferebant. Qvin & ex hac incluta muſarum ſede ſumma Eccleſiæ lumina prodiere. Dedit qvippe Clementem Alexandrinum inexhauſtæ doctrinæ virum, ut eum appellat Caſaubonus Exercit. 1. ad Baronii Apparatum p. 2. qvi Athenis natus ac Alexandriæ a Panteno informatus eſt, ubi & diu docuit atqve occubuit. Produxit Originem Clementis Alexandrini

U diſci-

diſcipulum, Leonidis Martyris filium, qvi ideo ſua hexapla & octapla adornaverat, ut verſiones Hebræo textui ſubjunctæ ad ejus normam emendarentur. Adeatur Antonius Hulſius in Vindiciis S. Textus Hebræi contra criminationes Iſaaci Voſſii cap. 6. Formavit Athanaſium, qvi Arianorum hoſtis erat acerrimus, ac firmiſſima Eccleſiæ columna adverſus omnes hæreticos. Conſulantur Socrates in Hiſtoria Eccleſiaſtica Lib. 1. c. 8. ac Johannis Gerhardi Patrologia in Athanaſio. Erudivit Gregorium Nazianzenum, qvi ab omnibus Græcis ob ſingularem auctoritatis ſuæ excellentiam primus poſt Joannem Evangeliſtam Theologi ac Magni cognomento illuſtratus eſt. Omni doctrina excoluit Cyrillum, qvi æqvalis Ambroſii primus Neſtorium in Synodo Epheſina prima ſcriptis egregiis damnavit. In ſumma, innumeri

merialii ex hujus Academiæ uberibus facundiam ac eruditionem ſuam expreſſerunt, qvibus Eccleſiam, poſt ſalutarem religionis Chriſtianæ propagationem, large aluere, alitamqve conſervavere. Sic & Academia Athenienſis, poſtqvam clarior Evangelii lux in orbe poſt natum Chriſtum fulgere cœpit, produxit viros maximos, qvi calamo & ore utiliſſimam Eccleſiæ operam navarunt. Nam ex hac omni diſciplinarum genere eruditi venerunt Baſilius Magnus, clariſſimum illud orbis Chriſtiani lumen, ac ſingulare Reip. Chriſtianæ ornamentum, ac Joannes Chryſoſtomus, qvi præceptore in dicendi artibus uſus eſt Libanio Syro Sophiſta. Qvem Sozomenus Lib. 8. cap. 2. dicit morti jam vicinum qveſtum esſe Joannem a Chriſtianis ut prædam, a ſe abactum eſſe: alioqvin ſcholæ præfici potuiſſe. Hic ob ſummam rerum

ſacrarum ſcientiam ac facundiam, qva ad docendum erat inſtructus, communi omnium acclamatione præclarum Chryſoſtomi nomen eſt conſecutus.

LXVII. Ex hac ut vicina ſibi Academia ſummam Græcarum litterarum cognitionem ſeptuaginta illi duo interpretes hauſere, viri multarum rerum cognitione & ſingulari ſapientia præditi: qvos Ptolomæus Philadelphus Ptolomæi Lagi filius, ſecundus eo nomine & ſtirpe Ægypti Regum, artium & ingeniorum ſummus cultor, e Judæa, ſummo Judæorum pontifice Eleazaro, eruditionis & præſtantium virtutum cultu maxime incluto, dum bibliothecam Alexandriæ undique & omne genus libris inſtrueret, quo ſacrum codicem in Græcam lingvam communi omnium uſui verterent, evocavit, ſvaſu quidem ac inſtinctu Demetrii Phalerei, ut illorum, qui hanc hiſtoriam ſcri-

bunt, fert ſententia. Quod quidem negat Wowerius in Syntagmate de Græca & Latina Bibliorum Interpret. cap. 3. dicens ex Diogenis Laërtii Lib. 5. Demetrium hunc, cum propter invidiam inimicorum abſens capitis damnatus, ſtatuis æreis trecentis ſexaginta, quas plebs Athenienſis ei, ob imperium per decem annos cum maximo civium bono adminiſtratum, locaverat, dejectis, ad Ptolomæum Lagidem σωτῆρα, cui in diviſione regni Alexandri ceſſerat Ægyptus & Africa, confugeret eique conſuleret, ut ad filios ex Euridice natos non ad Ptolomæum Philadelphum, quem ex Berenice ſuſceperat, ſummam imperii deferret, a filio Ptolomæo, quem pater, damnato ejus conſilio, regni ſui ſucceſſorem fecerat, poſt patrem mortuum in provinciam relegatum, aſpidis morſu, cum ægritudine animi mæſtus in ſoporem

lapſus eſſet, interiiſſe, ac ita curandæ huic interpretationi admotum non fuiſſe. Aſt Wowerius facile refelli poteſt ex Ariſtobulo Judæo, Philoſopho Peripatetico, qui paullo poſt Ariſtæam primum LXXII. ſeniorum Hiſtoriæ auctorem ſcripſit; cujus verba ex ejus libro ad Ptolomæum Philometorem refert Euſebius de Præparat. Evang. Lib. 13. cap. 12. ἡ δ' ὅλη ἑρμηνεία τῆς διὰ τοῦ νόμου πάντων, ἐπὶ τοῦ προσαγορευθέντος Φιλαδέλφου βασιλέως, σοῦ δὲ προγόνου (γέγονε) προσενεγκαμένου μείζονα φιλοτιμίαν Δημητρίου τοῦ Φαληρέως (καὶ) πραγματευσαμένου τὰ περὶ τούτων. Hoc eſt, ut vertit Franciſcus Vigerus: *Poſt, Regis Ptolomæi cognomento Philadelphi, avi tui tempore, qui omnes hoc in genere ſtudio & magnificentia ſuperavit, integram eorum, quæ noſtras ad leges pertinebant, omnium interpretationem,*

*præ-*

*præcipua Demetrii Phalerei totum negotium moderantis opera elaborarunt.* His addantur Prolegomena Middendorpii in Ariſtææ Hiſtoriam, ut & Brianus Waltonus in Biblia Polyglotta Proleg. 9. De Verſionibus Græcis præcipue LXXII. Seniorum, λ. 4. Interpretationem hanc ſeptuaginta multi ex veteribus, quos apud Hottingerum in Theſaur. Philolog. Lib. 1. cap. 3. Sect. 3. de Verſion. Græcis & Latinis Quæſt. 9. legas, in tantum venerati ſunt, ut ei divinam adſtruxerint αὐθεντίαν, arbitrantes ſeptuaginta illos ſpiritu prophetico adflatos biblia vertiſſe. Verum hic error a Judæis Græcienſibus ſive Helleniſtis ortus eſt. Qui cum in ſummo odio, propter hanc ſeptuaginta interpretationem, qua in Synagogis utebantur, apud Judæos Hieroſolymitanos eſſent, ac ea de cauſſa ab illis capitali odio diſſiderent, nulla re niſi lingva

differentes, quo ſeptuaginta interpretationi pondus & auctoritatem quærerent, inter alia multa de hac interpretatione incondite dicta, quæ magno applauſu a poſteris recepta & inveterato confirmata errore, duce Ariſtæa, qui & ipſe erat Helleniſta, adflatu cæleſti eam prodiiſſe adſeruere. De qua re videantur VVowerius in Syntagmate de Græca & Latina Bibliorum Interpret. cap. 2. Hottingerus in Theſ. Philolog. Lib. 1. cap. 3. Sect. 3. Quæſt. 12. Antonii Hulſii Avthentia abſoluta S. Textus Hebræi vindicata contra criminationes Iſaaci Voſſii. In qua oraculorum divinorum interpretatione ingens providentiæ divinæ beneficium elucet. Etenim, quo Judæi, qui per Ægyptum, Aſiam ac Græciam longe lateque erant diſperſi, Græcis litteris, quæ ea tempeſtate pleriſque uſitatæ gentibus, erant eruditi, ſacras litteras ex præſcripto legis in ſuis Syna-

Synagogis legere poſſent ac intelligere, voluit Deus omnium bonorum au-ctor fidei noſtræ inſtrumenta Hebræis conſignata litteris Græco ſermone ſub cura Ptolomæi Regis Ægyptiorum in-dui. Nec tantum hæc verſio, ſingulari Dei diſpoſitione, propter Judæos ἑλληνίζοντας, inter quos primatum quendam Alexandrini tenebant, confecta eſt, ſed etiam ob reliquas nationes, nempe ut illis, quæ poſtmodum in cognitionis divinæ communionem vocandæ erant, vaticinia, quæ de Chriſto ſummo ſalutis noſtræ auſpice exſtabant, revelarentur ac paterent, atque ita ſeptuaginta illa interpretatio, quaſi penus quædam eſſet, unde myſteria in populorum omnium uſum ac fructum promerentur. Legatur Euſebius Præparat. Evang. Lib. 8. cap. 1. Ceteroquin, ut ſupra Theſi XXX. ex Lactantio oſtenſum eſt, ante tempora

*οις.* Unde, teſte eodem, a populo Tarſenſi ſollemnes annui honores ei ut heroi perſoluti. Qui Athenodorus tanta apud Auguſtum a Xiphilino uſus fuiſſe libertate dicitur, adeo ut Cæſar ei, cum in cubiculum ejus lectica pro muliere vectus eſſet, tenens pugionem in manu de ea deſiluiſſet ac dixiſſet, *οὐ φοβῇ μή τίς σε οὕτως εἰσελθὼν ἀποκτείνῃ, non times, ne te aliquis eodem modo ingreſſus interficiat*, nedum ei iratus ſit, ſed gratias egerit. In hoc celeberrimo litterarum domicilio Paulus Apoſtolus ingenuis artibus & diſciplinis, procul dubio, excultus eſt, antequam Hieroſolymis a Gamaliele in doctrina Phariſæorum doceretur: dicitur enim apud Lucam Actor. 22. Commat. 3. *ἀνατεθραμμένος παρὰ τοὺς πόδας Γαμαλιήλ.* Sic mos gentis erat, ut, qui operam dabat doctori, projectus ad pedes ejus audiret docentem;

tem; qui ita διερῥιμμῶύ⊕ ἐν ἐδάφ⊕ diſcebat, vocabatur minor tam ratione ætatis, quam ratione diſciplinæ, ut docet Joſephus Scaliger in Elencho Trihæreſii Nicolai Serarii cap. 10. Quid vero hac de re ſenſerit Samuel Petitus, liquet ex Obſervationum ejus Lib. 3. c. 2.

LXIX. Et illud notandum eſt, Græcas litteras, quibus omnis elegantia ac venuſtas nititur conſtatque, ac a quarum præſtantia Romani ſtudiorum ſuorum oſcitantem & dormitantem negligentiam correxere, non parum propagatas fuiſſe, cum Conſtantinus Byzantium Thraciæ urbem, quam de ſuo nomine Conſtantinopolin vocavit, imperii Romani transferret ſedem. Nam ex Græcia oriundi provinciis regundis præficiebantur. Unde contigit, ut totus Oriens ſeu Orientalis imperii pars, qvæ Syriam, Palæſtinam, Ciliciam & Meſopotamiæ Arabiæque partem

tem

tem continebat, Græca lingva uſa ſit, ut ex Hieronymo oſtendit Brerewodus in Scrutinio Lingvarum cap. 1.

LXX. Cum jam memoratum ſit, qua ratione Græca lingva, quæ omnium maximarum artium ſcientiæ mater eſt, cœperit, adoleverit atque invaluerit, ac quaſi ad quendam juventæ florem pervenerit, reſtat jam, ut narrem, quomodo ſenilem quendam ſqvalorem induerit. Sub Heraclio Imperatore, ſæculo poſt Chriſtum natum ſeptimo, cum Saraceni ex Arabiæ latebris emergentes Græciam, quæ longe prius ſub Gallieno, narrante Eutropio lib. 9. cap. 6. a Gothis ad imperium natis una cum Macedonia, Ponto, Aſia gravi & triſti bello adflicta erat, ne jam de aliis regnis dicam, armis occuparent ac miſerabili direptione vaſtarent, dulces Græci leporis facetiæ ſunt diminutæ, & nativa Græcæ lingvæ puritas conta-

taminata, ac gloria ejus propemodum collapſa. Hoc idem eveniſſe aliis lingvis, ut quisque temporum inſtiterit notis, reperiet. Sic Hebræorum lingva ſub captivitate Babylonica corrupta eſt a Chaldæis. Quorum dialectus erat triplex. 1. Babylonica, quam Daniel & Esras edocti ſunt ac tenuit Jeremias, ut ex particula iſta epiſtolæ ad Judæos in Babylonico exilio viventes data Jeremiæ 10. commat. 10. patet. 2. Antiochena, quæ *κατ᾽ ἐξοχὴν* Syriacæ nomen obtinuit. 3. Targumica, Judaica, ſeu Chaldæo-Hieroſolymitana, qua Judæi Babylone reduces uſi ſunt, ut & Chriſtus ac Apoſtoli, cum omnibus Judæis eo tempore vernacula fuerit. Cujus dialecti varietatem apud Gulielmum Beveridgium de Ling. Oriental. præſtantia, neceſſitate & utilitate legas. Adde, ſi ita placet, Caſparis Scioppii Diatribam de compendioſa

ſa & facili Lingvam Hebræam & Chaldæam condiſcendi ratione §. 6. De Latina Lingva ſic loquitur Polybius lib. 3. cap. 22. τηλικαύτη γὰρ ἡ διαφορὰ γέγονε τῆς διαλέκτου, καὶ παρὰ ῥωμαίοις τῆς νῦν πρὸς τὴν ἀρχαίαν, ὥστε τοὺς συνετωτάτους ἔνια μόλις ἐξ ἐπιστάσεως διευκρινεῖν. Hoc eſt, vertente Caſaubono: *Veteris ſane lingvæ etiam Latinæ tanta diverſitas eſt ab illa, qua hodie utuntur, ut vel peritiſſimi nonnulla ægre, ubi animum attenderint, explanare queant.* Addantur Varro de L. L. Lib. 6. Qvinctil. 1. 5. Hinc recte Petrus Crinitus de Honeſta diſciplina l. 3. c. 3. Lingvam Latinam diviſit in priſcam, Latinam, Romanam, miſtam. Priſca ipſi eſt, qua vetuſtiſſimi Italiæ populi ſub Jano videlicet, & Saturno regibus uſi ſunt. Latina autem, quam ſub Latino & Regibus Tuſciæ ceteri quidem populi in ipſo Latio loquebantur,

tur. Romana, quæ poſt exactos Reges R. P. geſta complexa eſt. Miſta vero, quæ, aucto imperio & libertate amiſſa, varios populos ac nationes in jura civitatis admiſit. His addatur Iſidorus Hiſpalenſis Orig. Lib. 9. cap. 1. Lingvæ Romanæ puritas ac elegantia maxime in deterius data eſt, cum Roma prius ſub Odoacro, qui a Theudericho, teſte Procopio Gothicæ Hiſtoriæ Lib. 1. doloſe occiſus eſt, mox ſub Gothis eſſet, ac a variis gentibus, quas Romani Barbaras appellarunt, imperium miſere diſcerperetur. Adeatur Laurentius Valla in Præfat. Lib. 3. de Lingvæ Latinæ Elegantia. Hinc langvido ac emortuo Sermone Latino, Italicus ortus eſt, ut & Gallicus ac Hiſpanus. Legatur Lipſius in de Recta Pronunciat. Latinæ Lingvæ cap. 3. Simili ratione antiqua Gothorum lingva commerciis ac bellis cum exteris nationibus in deſvetudinem

nem venit. Eodem modo & aliarum nationum lingvæ depravatæ. Et certe, quamvis populi coloniis inter ſe non commiſcerentur, belliſque colliderentur; attamen mirum non eſſet lingvas, paucis, quæ ab interitu litteris vindicatæ ſunt, exceptis, in perpetuo eſſe fluxu, & ſingulis prope ſæculis magna ſui parte mutari & alterari, cum omnia, quæ ſub ſole ſunt, ad mutationem ferantur, ac volubili circumagantur orbe. Hinc Bodinus in Methodo ſua Hiſtorica cap. 9. inter cauſſas mutationum lingvarum primam in ipſo temporum decurſu ponit. His addatur Henninius in ἑλληνισμῷ Ὀρθῳδῷ, §. CXLIII.

LXXI. Arabes ſive Saraceni, quorum mentio in ſuperiori theſi a me injecta eſt, prolatis imperii Arabici terminis, cum Græcas litteras deguſtasſent, Græcorum ſcripta præcipue Pla-

tonis, Ariſtotelis, Galeni, jam pæne apud ipſos Græcos ignota in ſuam lingvam transferre cœperunt, ut docent Hottingerus in Specimine Philoſophiæ Hiſtoricæ §.5. ac Hornius in Hiſtoria Philoſophica Lib. 5. cap. 10. Hinc inprimis quidquid egregium ac utile in medicina ab Avicenna, Meſue, Averroe ac aliis proditum eſt, id omne ex Græcorum ſcriptis eſt excerptum. Quod ex eo liquet, quod multis illa erroribus ab illis lingvæ Græcæ non adeo peritis obſcurata ſit, ac ita multa ei abſurda inlata, quæ ſine Græcis corrigi & emendari nequeant. Quare fruſtra apud hos quæritur, quod non apud Hippocratem, & ejus enarratorem Galenum reperiatur. Legatur Heurnius in Diſſert. de Studio Medicinæ. Qui Arabes pleraque Græca, in ſcriptis Græcorum in ſuam lingvam transferendis, præpoſito ſuo articulo Al, retinebant: ut

ut Ptolomæi liber Almageſte; eſt enim ἡ μεγίςη σ͞ταγματεία ſive σύνταξις. Hoc eſt: Magna conſtructio. Ita Alchymia, χυμεία & Alchymiſta, χυμιςής. Sic Alembic, a Græco Ἄμβιξ apud Dioſcoridem lib. 5. cap. 64. Videatur Joſephus Scaliger in Propertium Lib. 3. Eleg. 20. Item in Culicem Virgilii. Quid vero ſit ſentiendum de voce Almanach ſive Ἀλμͅενίχια, quam Scaliger Arabice Calendarium, μανακὸν a luna & menſibus denotare in Prolegomenis ad Manilium dicit, legantur Salmaſius in de Annis Climactericis & Antiqua Aſtrologia, ac Thomas Gale in notis ad Jamblichum de Myſteriis Ægyptiorum Sect. 8. cap. 4. Et ut ad alias ex data occaſione gentes tranſeam, quid tempore hodierno Chaldæi ac Ægyptii habent, quod non a Græcis nacti ſint, cum præſtantiſſimos Philoſophos e Græcia maximis

præmiis evocarint, qui pueros Græcam Lingvam docerent, ac libros paullo vetuſtiores ingenuas artes ac diſciplinas continentes ex Græcorum in ſuam lingvam transfunderent? Græci quippe ea artium ac diſciplinarum rudimenta, quæ ab illis acceperant, tanto ornatu ac perfectione minutatim ac gradatim perpolivere ac excoluere, ut bonæ artes jam Græciam potius ſuam parentem, quam Chaldæam ac Ægyptum agnoſcere videantur. Nec ſine cauſſa: Non enim ſtatim a fonte flumen eſt, non in ipſo naſcentis diei primordio æſtus; nec in cunis infans loquitur. Ad culmen diſciplinarum ſenſim ac quaſi per gradus adſcenditur.

LXXII. Græcæ quidem lingvæ ſtudium in veteri Græcorum patria, proximisque Macedonum & Thracum oppidis quibusdam, quantum adhuc de Byzantino imperio reliqvum erat, man-

manſit, donec urbs claritate ac magnitudine ante omnes urbes memorabilis Conſtantinopolis una cum imperio, vi ac impetu Turcarum perculſa ac proſtrata jaceret: Aſt id in citeriori occidentis parte, variarum gentium incurſionibus ac vaſtationibus deſolatum ac plane exſtinctum erat. Hinc illud Franciſci Accurſii: *Græcum eſt, non poteſt legi.* Quod dixit, quoties ad Homeri verſus a Juſtiniano citatos pervenit. Eodem ferme tempore Græce aliquid ſcire, Hebraice autem noviſſe prope hæreticum fuiſſe narrat Claudius Eſpencæus, Epiſcopus Gallus Vir eruditiſſimus. Refert Conradus Heresbachius Jurisconſultus in Oratione de Laudibus Græcarum litterarum ſe audiviſſe Monachum in Eccleſia hunc in modum declamaſſe: *Nova jam reperta eſt lingua, quæ vocatur Græca. Ab hac ſedulo cavendum eſt. Hæc eſt, quæ*

*parit omnes hæreſes. Ea lingva proditus liber in manibus paſſim habetur, & vocatur novum teſtamentum. Plenus hic liber rubetis & viperis.* Tandem ſubjecit, ut narrat idem Heresbachius, *aliam jam oriri lingvam, quam vocant Hebræam. Hanc qui diſcunt, efficiuntur Judæi.* Compluria talia exempla exſtant apud Jo. Cunradum Dietericum in Græcia Exulante. Nec mirum: Nam in Muſarum rerumque lapſu, cum meliores lingvas aliæ minus excultæ imminutum eunt, mortales ſive novitate dictionis exoticæ, ſive opinionis fuco illecti & faſcinati deſvetudine & incultu illas tanquam non utiles ſpernere ſolent.

LXXIII. Capta ac miſerandum in modum ſubacta Conſtantinopoli ſub Mahometo Secundo ab effera Turcarum rabie, anno mundi ex Græcorum computatione ſexies milleſimo nongen-

gentesimo ſexageſimo primo, ut memoriæ proditum eſt ab Anonymi Hiſtoria Politica, quæ exſtat initio Martini Cruſii Turco-Græciæ, Chriſti autem anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio, quo tempore ſummas in ea imperii tenebat Conſtantinus Palæologus, in Græcia litterarum bonarumque artium omnis periit ſplendor, ac per incultam illuviem horrida omnia & inculta facta ſunt, & quod luctuoſiſſimum fuit, deleta ſcientia vix ſui memoriam reliquit. Hinc in Græcia elegantia ac nativa lingvæ ejus puritas ob Turcas, qui ſemper bonæ ſanæque mentis cultum pertinaci proſcripſere ſtudio, ita corrupta eſt, ut jam in illa pro antiquis illius quatuor nobilioribus dialectis, Attica, Ionica, Dorica, Æolica, propter portenta illa verborum partim ex Turcica, partim ex Slavonica atque Italica lingva colle-

ċta ſeptuaginta reperiantur. Quarum omnium deterrima hodie eſt Athenarum; quæ tamen civitas olim omnis induſtriæ ac eruditionis princeps erat. Adeantur Simeon Cabaſilas in Epiſt. ad Martinum Cruſium Turco-Græciæ Lib. 7. ac David Chytræus in Oratione de Statu Eccleſiarum in Græcia, Aſia, Africa &c.

LXXIV. Sic Tu Græcia, quæ quondam orbi terrarum & utrique ſimul fortunæ par eras, jam eheu! alienæ ſuperbiæ ac crudelitati ludibrio es, tanquam ingens arbor annis confecta vigoreque exhauſta exareſcens. Sic Tu Græcia, quæ olim quidquid claritudine eminuit, id veluti cognatum cenſuiſti tuendum, ac quæ immenſo & inæſtimabili litterarum & ſcientiarum diluvio univerſum orbem, ætates omnes inundaſti, jam proh dolor! quia felicitati tuæ invidiſti, rudi ſitu & incultu ſqva-

ſquales, iis obnoxia, quibus olim formidini eras. Ubi jam tua eloquentia, quæ non ſola verborum majeſtate, ſed & rerum copia fulta ſummum in Demoſthene faſtigium accepit, ob publicam illam orbis luem, qua cuncta animi melioris inſtituta ac documenta ſalutaria ſublata ſunt, omnisque elegantia ac venuſtas litterarum proſtrata? Ubi jam vividi ingenii tui acumen ac vitæ cultus, quo tuum extollebas nomen, quidquid præterea uſpiam eſſet hominum truci barbarorum adpellatione premens? Quo nomine ne Romani quidem, qui orientem atque occidentem armis junxere, ut domi tandem ne libertatem quidem invenirent, immunes fuere. Quid multis? Omnia tua bona velut pulcritudo floris matutini evanuerunt, & nihil oculis tuis ſupereſt, ultra miſeram vitæ conditionem. C. Laberius in Veterum Poëta-

rum Catalectorum a Joſepho Scaligero publicatorum Lib. 1. Tit. 4. quodam tempore ita de Græciæ ruina cecinit:

*Græcia bellorum longa ſuccuſſa ruina*
*Concidit, immodice viribus uſa ſuis.*
*Fama manet: fortuna periit. Cinis ipſe jacentis*
*Viſitur: & tumulo eſt nunc quoque ſacra ſuo.*
*Exigua ingentis retinet veſtigia famæ:*
*Et magnum infelix nil niſi nomen habet.*

Tu vero Turca omnibus audendis paratiſſime, in quem laceratus orbis ad vindictam jam conſurgit generis humani ſpolia inter ſe diviſurus, etſi lucem ac ſplendorem Græcis rapuiſti: famam vero gloriamque factorum ac dictorum adeo non abſtuliſti, ut auxeris.

Græ-

Græcia vivit vivetque per omnium ſæculorum memoriam, dum hoc rerum naturæ corpus, quod ſoli ferme Græci animo viderunt, ingenio complexi, eloquentia illuminavere, manſerit incolume, ac honor litteris conſtiterit. Et ſcias, licet ipſa fortuna fueris formidabilis, ultimum tamen fatum te manere. Sic Romani omnia ſubegerunt, ut perirent ſæpius, omniumque tandem fortunam, rebus converſis, ſubirent. Regna quippe ſuis definita temporibus non effugiunt mortalitatem. Hinc regna iisdem modis depreſſa ſunt, quibus elata ſive evecta.

LXXV. Ut expugnatio illa Conſtantinopoleos Græciæ, & toti ferme orienti maxime funeſta ac exitialis erat: ita aliis provinciis ac regnis valde ſalutaris ac fructuoſa. Nam multi viri eruditione clari in Italiam alteram poſt Græciam ingenuarum artium matrem

ob

ob efferatam Turcarum crudelitatem e Græcia exſulatum veniebant, ut ibi tutum ſibi & Muſis receptum ac perfugium quærerent. Quorum primus erat Emmanuel Chryſoloras ſocer Franciſci Philelphi, qui Timotheo Græculo de vi Syllabæ contendenti victoq; barbam e pacti lege, inexorabili abraſit ſuperbia. Super qua re legi poſſunt Myrtei ac Latomi Carmina apud Paulum Jovium in Elogiis doctorum Virorum. Qui Emmanuel primum Venetiis, & mox Florentiæ, Romæque ac demum Ticini Græcarum litterarum ſtudium tanto ſucceſſu excitavit, ut ex ejus ſchola ſummæ doctrinæ ingenia prodierint: in quibus erant Leonardus Aretinus, Franciſcus Barbarus, Philelphus, Gvarinus & Poggius. Cui ſucceſſit Beſſarion Cardinalis Nicænus, vir cum in Latina & Græca lingva, tum in Philoſophia cumprimis Platonica ac Theo-

Theologiæ ſcientia præſtans. In ſenatoria ejus dignitate, quam in Concilio Florentino, præſidente Eugenio, ingenii ſui præſtantia promeruit, ſumma ipſius erga litteras Græcas beneficentia eluxit, cum Græcis ob Græciam Turcarum armis ſubactam & ideo concidentem, mari & terris diu jactatis quaſi de ſublimi quadam ſpecula viam & hoſpitium oſtenderit. Erat enim ipſis tanto præſidio ac ornamento, ut qui in Academia nomen darent, eo patrono ac hoſpite uterentur, ut refert Jovius. Eodem temporis tractu vixit Georgius Trapezuntius in Creta natus. Hic Græcorum fere primus Romæ, eo tum ſæculo renaſcentibus litteris, exiſtimatus eſt, qui Græca feliciore ſtilo in Latinum verterit. Qui cum ſe Peripateticum fateretur, magna verborum libertate in Platonem incurrebat, ac dogmata ejus famoſo ſcripto lacerabat. Poſt hunc

flo-

floruit Theodorus Gaza Theſſalonicenſis, qui Amurathe Græciam omnem terribili populante ſtrage, in Italiam venit, Vir Græcorum omnium cum ingenii acumine tum lingvæ peritia longe eruditiſſimus. Quippe non Grajam modo, ſed & Romanam lingvam tam ſcite atque docte calluit, ut plane dignoſci non poſſet, an exactius & certius ab eo Latina Græce, an ipſa Græca Latine verterentur. Quod ſatis teſtantur Hiſtoriæ Ariſtotelis de Animalibus & Theophraſti de Plantis, cum has ſic in Latinum ſermonem tranſtulerit, ut vix, qui illi comparetur, inveniatur. Id ipſum confirmat Joannes Ludovicus Vives in de Ratione ſtudii ſic ſcribens: *Princeps interpretum, conſenſu omnium eſt Theodorus Gaza in libris de animalibus, & Problematis Ariſtotelis, & de ſtirpibus Theophraſti: Sive candore interpretationis, ſive*

*ve copia Latina, qua certavit cum Græca: Sive felici audacia, fingendis ad analogiam vocabulis, quibus carebant Latini, ut commodius Græca redderet.* Tanta porro felicitate librum Marci Tullii de Senectute Græce expreſſit, ac reddidit, ut in eo ipſam Ciceronis vim dicendi, tam quoad gravitatem ſententiarum, quam quoad verborum pondus non ſine doctorum admiratione aſſeqvutus ſit. Eodem Turcarum impetu e Græcia ejectus eſt Joannes Argyropylus Byzantius, qui in tanto ob ſtudia ſua honore erat apud Coſmum Medicem, ut ab eo Petro filio nepotique Laurentio litteris excolendis præficeretur, ac munus ei publicum erudiendæ Florentinæ juventutis demandaretur. Eadem ætate vixit Demetrius Chalcondyles, qui ſcholam Florentinam ab Argyropylo deſertam inſtauravit, vir animo mitis, moribus quietus,

tus, in dicendo mediocris. Hunc excepere Marcus Muſurus Cretenſis, inſignis Grammaticus, ac rari ingenii poêta, qui in Gymnaſio Patavino per tempus aliquod Græcos auctores interpretatus eſt, ac Joannes Laſcares, vir fere inter omnes Græcos, qui Othomannicis armis pulſi in Italiam confugerunt. generis nobilitate celeberrimus ac Græcis litteris inſtructiſſimus. Qui cum ingenio eſſet florentiſſimus, bis a Laurentio Medice, cui nihil antiquius unquam fuit, quam ingenia liberali beneficio ſibi devinxiſſe, ut apud Paulum Jovium eſt, ad Bajazethem Byzantium, quo in Italiam libros Græcos deportaret, miſſus eſt. Horum æqualis & contubernalis Michaël Apoſtolius erat, ut videre eſt apud Pantinum Tiletanum in Præfatione ad Lectorem in Apoſtolium Byzantinum. Hos omnes ætate ſupergrediebatur Maximus Planu-

nudes, qui Cæſarem de bello Gallico Græce vertiſſe putatur, cum anno cIↄ CCCLXX. eluxerit, ut oſtendit Voſſius in parte altera de ſcientiis Mathematicis cap. 50. Nec hoc loco prætereunda eſt ſingularis Nicolai V. Pontificis erga litteras cura. Hic, quo in Italia artes ingenuas ac ſtudia optima, quæ nulla ætas magis adflixit, quam cum Romani Imperatores, imperii ſede in Thraciam translata, illam aliis nationibus diripiendam ac devaſtandam relinquerent, excitaret, poſt Byzantium captum magnis ſumtibus ex Græcia per mercatores clam libros conquiſivit. Sub hoc Pontifice, teſte Platina, a Poggio Quinctilianus eſt inventus, ab Enocho Aſculano Marcus Cælius Appicius & Pomponius Porphyrio in Horatium. Ex illis, qui per cladem Conſtantinopolis ſedibus ſuis ejecti erant, quinque tantum Grammaticæ Græcæ præcepta

conſcripſere, ut Planudes, Gaza, Laſcares, Moſchopulus, Chryſoloras hanc ob cauſſam, ut lingvam hanc, non minimum omnis ſcientiæ ornamentum, ab illa barbarie, qua eam in patria ſua merſam ac ſepultam maximo cum ipſorum dolore vidiſſent, vindicarent, ac quaquaverſum per Europam ejus elegantiam ac nativam puritatem propagarent. De Joanne Laſcare Thomas Morus ad Martinum Dorpium in Apologia pro Moria Eraſmi ita ſcribit: *Neque jam de poëtis aut oratoribus dico quidquam, ſed neque de aliis philoſophis, aut aliis etiam ejusdem Ariſtotelis commentatoribus verbum facio ullum: quanquam vel unus Joannes Grammaticus tantum habet acuminis, tantum eruditionis, præſertim Ariſtotelicæ, ut ſi cum eo posſis ipſius lingva loqui, reduceret te, ſatis ſcio, unus ille cum Grammaticis omnibus, quibus*

*nunc*

*nunc parum propitius videris, in gratiam.*

LXXVI. Græcæ litteræ, quæ ob tempora infelicia ac artium bonarum ignara, cum per ſeptingentos fere annos ex Italia in exilium ejectæ eſſent, ac per viros, ut ſuperiori theſi dictum eſt, rerum Græcarum plurima atque varia ſcientia præditos in eam denuo deductæ, non multo poſt etiam per Alpes in Galliam ac Germaniam commigrarunt. Nam Gregorius Typhernas e Chryſoloræ ſchola profectus omnium primus Lutetiæ Pariſiorum ſumma cum laude Græcas litteras publice profeſſus eſt. Quod docendi munus poſt eum ſuſcepit Hermonymus Spartiata Græcus. Cujus auditores erant Joannes Capnio ſive Reuchlinus Germanus, & Eraſmus Roterodamus Belga (cujus eloquentiam totius Galliæ opibus præferebat C. Longolius) maxime præclaræ

ac pares æternitati indoles. In his enim tanta litterarum omnis generis, quibus cenſeri eruditio ſolet, peritia juxta & uſus fuit, quanta in illos cadere poteſt, in quibus ingenium ſtudiumque paria fecerint. Quanti æſtimaverit Reuchlinum Eraſmus, liquet ex his ejus verbis in Epiſtola ad Leonem X. Pontif. *Nam in cæteris Hieronymi monumentis, quæ mihi non ſumſi, etiamſi pro tempore, nonnihil opitulor, a compluribus eruditisſimis jam pridem eſt deſudatum. Inter quos eſt eximius ille vir Joannes Reuchlinus Phorcenſis, trium linguarum, Græcæ, Latinæ & Hebraicæ pæne ex æquo peritus: adhæc in nullo doctrinæ genere non ita verſatus, ut cum primis certare posſit. Unde merito virum hunc ceu phœnicem, & unicum ſuum decus tota ſuſpicit ac veneratur Germania.* Capnionem hunc Palatini Electoris ad Pontificem legatum cum

Jo-

Joannes Argyropylus Romæ Thucydidem explicantem ac Græce diſſerentem audiſſet, tanquam attonitus viri hujus doctrina in aula Pontificis exclamavit: Miſerrimam Græciam ſuo ceterorum Græcorum exilio ultra Alpes in Germaniam evolaſſe. Eodem modo, narrante Plutarcho in Cicerone, Apollonius orator, cum ejus rogatu, quod Romanæ lingvæ imperitus eſſet, Cicero aliquando Græce Rhodi declamaret, ceteris ſtupore defixis, ac certatim eum collaudantibus, diu cogitabundus ſedens tandem in hæc verba erupit: Σὲ μὲν, ὦ Κικέρων, ἐπαινῶ καὶ θαυμάζω, τῆς δὲ ἑλλάδος οἰκτείρω τὴν τύχην, ὁρῶν, ἃ μόνα τῶν καλῶν ἡμῖν ὑπελείπετο, καὶ ταῦτα ῥωμαίοις διὰ σοῦ προσγινόμενα, παιδείαν τε καὶ λόγον. Id eſt: *Te quidem laudo, Cicero, & admiror: Græciæ vero miſeret me conditionis, quum cernam, quæ re-*

*liqua nobis ſola erant ornamenta, ea quoque te ad Romanos tranſtuliſſe litteras & eloquentiam.*

LXXVII. Ex hac Græcarum litterarum viciſſitudine miram Dei ſapientiam cernere licet, cum eam non alio permittat conſilio, quam ut inde elicere majora poſſit. Græcæ qvippe litteræ, qvas immanitas Turcarum, ut dictum eſt, exiliis puniebat, ingenia magna in Italia, Gallia, Germania, qvæ in lucem famamqve provexit diligens eorum ſtudium ac labor, ita acuebant, ut exploſo ſuperiorum ætatum inſano contortorum ac aculeatorum ſophiſmatum amore ad ſolidam ac politam doctrinam ſummo conatu qvaſi graſſarentur, & omnem veritatem plus qvam Cimmeriis tenebris obſcuratam priſtinæ luci ac fulgori reſtituere adgrederentur. Scholaſtici qvippe litteras meliores ac politiores pæne ad mortis neceſſi-

ceſſitatem fœdiſſima earum imperitia adegerunt. Nam hi,omni Muſarum ſvavitate, ac altiorum ſtudiorum cognitione excluſa, qvo aliqvid ſapere viderentur, verborum monſtris omnia novabant, credentes cum ſeveriori doctrina ſermonem purum ac terſum convenire non poſſe. Hinc pueri, neglectis Græcis litteris, ac omni doctæ eloqventiæ cura omiſſa,ad ineptam ſubtilitatem ac æternas argumentationes traducti.

LXXVIII.Eluxit demum felicius ſæculum, qvo nati viri divino inſtructi ingenio, qvibus unicum certamen fuit, ut, tetris illis tenebris eruditionis ac operæ ſuæ facibus ſolutis, fulgorem priſtinum litteris redderent, & qvæ temporum injuria ac infelicitate proſtrata erant, ea erigerent ac in ſolido collocarent. Verum, cum natura infirmitatis humanæ tardiora ſunt remedia, qvam

mala (nam ut corpora lente augeſcunt, cito exſtingvuntur: ſic ingenia opprimuntur facilius, qvam revocantur) ſub ipſum litterarum de integro orientium diluculum pauca clara exſtiterunt lumina, qvæ litteras de miſerrima nocte ac caligine, & qvidem ob graviſſima bonæ mentis impedimenta, librorum nempe maculas, qvas vel librarii vel tempora iis inuſſerant, eruerent. Qva ex cauſſa valde arduum erat ad verum ac ſolidum doctrinæ decus eluctari. Qvocirca illis, qvi cum diverſorum voluminum lectione, tum antiqvitatis peritia ea, qvæ vel vetuſtate vel imperitorum qvorundam temeritate erant depravata ac luxata, reſtituêre, æterna debetur laus. Nec immerito: Criticam enim exercere non eſt omnium. *Nec ingenium aut doctrinam ſolum ea res, ſed judicium, id eſt, animam ſapientiæ quærit*, ut loqvitur Muretus Var. Lect.

Lib.

Lib. 8. c. 4. Hanc qvi ignorat, in meliorum auctorum ſcriptis ubiqve hærebit, ubiqve illi oborientur tenebræ, & velut erranti per ignotam regionem. Et certe, qvi huic ſtudio ſe adplicat Græcæ lingvæ cognitione non perpolitus, nunqvam veræ gloriæ ex ſtudiis guſtum ſentiet. Nam omnis doctrina, ut ſcribit Weitzius in Epiſtola de Philologia ad Dilherrum, ſine ſubſidio Græcarum litterarum fluctuat; Sicuti qvi uno pede gradi poſtulant, & una manu vitæ obire munia: ita qvi Græcam & Latinam lingvas, tanqvam ſorores ſeparant; & ſcribere aut loqvi latine ſe cum laude putant, ſine ſubſidio ullo Grajo.

LXXIX. In patria noſtra Græcæ litteræ, ut & alia qvævis præclara ſtudia in ſummo ſunt flore. Qvod maximum eſt Dei donum, ac plane tale, ut id ſatis a nobis, in maximo hoc felicitatis noſtræ proventu, æſtimari non poſſit.

Qvem hoc non afficit, is ea adeat tempora, qvibus ob triſtem ubiqve rerum noſtrarum faciem, artes ingenuæ neglectæ jacebant. Qvæ culpa non induſtriæ majorum minus qvaſi exqviſitæ, cum nulla in difficultate, nullo in ſcopulo illi hæſerint, imputanda eſt, ſed temporum iniqvitati ac injuriæ, qvibus omnia martem ac arma ſpirabant. Bella enim non exercitationem modo litterarum tollunt, ſed etiam laudes omnes, qvæ in excolenda virtute poſitæ ſunt, imminuunt ac pervertunt: Aſt ubi fatalem hanc bellorum difficultatem eluctati ſunt, in dignam ſuo faſtigio mentem ſtudiis litterarum conſurrexere, & qvidem cum tantis illorum incrementis, ut gloriam, omnis abſit invidia, cantu laudum ſuarum verboſæ Græciæ & rerum potentis Latii adæqvarint. Litteræ ſeneſcentes cum jam a magnis ingeniis mira fatorum benignitate es-

eſſent reductæ ac reformatæ, noſtri, qvi ingenio erant inſtructisſimi, ne viderētur uni glebæ eſſe adfixi, Academiam Pariſinam ante alias, cum illa in Europa olim reliqvarum eſſet celeberrima, adibant majori ſtudiorum cognitione ſe exculturi. Primus, qvi Academici honoris titulo in ea Academia inter Archiepiſcopos Sveonum ornatus eſt, erat Olaus Laurentii, qvi natus in Treuda, Archiepiſcopus Upſalienſis viceſimus primus. Factus enim ibi Baccalaureus, ut ſcriptum invenitur in brevi Chronico incerti ſcriptoris Sveci de Archiepiſcopis & Sacerdotibus ceteris Eccleſiæ Upſal. Videatur etiam Chronicon Epiſcoporum per Sveciam, Gothiam & Finlandiam Meſſenii. Ex hoc qvoqve videre eſt, qvanta diligentia, & qvo ſucceſſu Majores noſtri ingenii culturæ vacarint, cum ab exteris, ob ſuam, qva erant ornatiſſimi, doctrinam, ad non ſper-

ſpernendas ſint evecti dignitates. Id qvod præter alios teſtatur Meſſenius in Chronico Epiſcoporum, cum ſcribit Johannem Petri ac Olaum, qvi poſtea præfecti ſunt diœceſi Aboenſi, ita in artium ſtudiis liberaliſſimis fuiſſe verſatos, ut in Illuſtriſſima Pariſiorum Academia digni ſint judicati, qvi munus Rectoris ibi capeſſerent. Doctor Hemmingus Gadd, qvi erat orator graviſſimus, ac omni ſcientiarum genere cumulatiſſimus, Romæ, per aliqvod tempus, Mathematicus Alexandri VI. exſtitit. Ut nihil jam dicam de Nicolao Ragvaldi, hic cum ab Erico Pomerano ad Concilium Baſileenſe legatus miſſus eſſet, in eo tanta prudentiæ ac doctrinæ documenta edidit, ut omnium conſenſu ipſi, ac Antiſtiti Nicroſienſi difficile ac arduum illud negotium graviſſimæ & diuturnæ inter Regem Galliarum & Ducem Burgundiæ diſſenſionis compo-

ponendæ ſit impoſitum,ut ſcribit Meſſenius in ſupra citato Chronico. Sic aliis qvam plurimis ex noſtratibus, externis in locis, ob ſtudia, qvibus ab omni parte feliciter erant inſtructi, ſummus habitus eſt honos. Nec minimum Græcis litteris in patria noſtra acceſſit incrementum, ut & aliis diſciplinis, cum viri præcellentis ingenii in patria noſtra nati in Germaniam abivere ſapientiæ præceptis animum compoſituri. Hi qvippe viris doctis operam dantes, ac præcipue Philippo Melanchthoni, viro illi, ut in aliis diſciplinis, ſic in Græcis litteris verſatiſſimo, illas in Sveciam cum frugiferis earum ſeminibus reduxere. Sic Græcæ litteræ, qvæ lacte patriæ noſtræ adolevere, cultu diſciplinarum in Græcia ad ſummum culmen ſurrexere, qvæ crudelitate Turcica oppreſſæ jacuere, ac a viris eruditione & induſtria maximis erectæ ac in ſolido collocatæ,

poſt-

poſtqvam monitis ac diſciplinis ſuis terræ præfuiſſent, doctrina ac facundia varias nationes inſtruxiſſent, poſt multorum ſæculorum decurſum, in natale ſolum rediere, verum langvidę ac defeſſæ. Qvæ ſtatim larga manu a glorioſiſs. memoriæ Regibus noſtris, qvi bene pro animi ſui magnitudine ſciebant id impendii genus, qvod in litteras erogatur, in ſæcula iturum, refotæ ſpiritum ac ſangvinem recepere. Jam fido Sereniſs. Regis noſtri Caroli XI. cui Deus ob patriæ ſalutem det ætatem, qvam meretur, ſervetqve animum, qvem dedit, ſinu receptæ ita nutriuntur, ut ad majus augmentum perduci neqveant.

LXXX. Græca lingva, qvæ gloria ac doctrina in Græcia olim floruit, ut dialectos ejus, anteqvam finem rudi huic ac impolito opuſculo impoſuerim, breviter attingam, non uniformis aut ſimplex ubiqve manſit, ſed genium mutans

tans Græciæ populis qvatuor dialectis elegantioribus ac uſitatioribus utpote Attica, Ionica, Dorica, Æolica ſe commendavit. Qvod vero attinet ad dialectum communem, ſciendum, qvod communis dicatur, non qva aliqva natio aut ſcriptor uſus ſit, ſed qvod ea verba, qvæ ab aliis non immutantur, ad communem dialectum ſint referenda. A Cicerone in Orat. pro L. Flacco tria ſtatuuntur Græcorum genera; Atheniensium, qvæ gens Ionum habebatur: Æoles alteri: Dores tertii nominabantur. Qvatuor illæ ſupra recenſitæ dialecti ad duas præcipuas, Atticam nempe ac Æolicam reduci poſſunt. Nam Ionica ex Attica, Dorica ex Æolica orta eſt, ut liqvet ex Euſtathio de Affinitate Dialect. Iliad. *α.* juxta initium ſic ſcribente: *Δῆλον ὅτι ἐν πολλοῖς ἐπικοινωνοῦσιν αἱ δύο αὗται διάλεκτοι (Ἀθηναίων καὶ Ἰώνων) διὰ τὸ, καὶ*

*αὐτοί·*

ἀποίκους Ἀθηναίων εἶναι τοὺς Ἴωνας. Ἰώνων καλουμένων ποτὲ καὶ αὐτῶν, ἀπὸ ἄρχοντος Ἴωνος. Ὅμοιον δέ τι καὶ περὶ τῆς Αἰολίδος καὶ δωρίδος διαλέκτου λέγεται, ὡς καὶ αὐτῶν ὁμοιότητά τινα ἐχουσῶν. Hoc ipſum Euſtathius etiam nempe de Ionibus, ὅτι ἡ αὐτῶν διάλεκτος ἡ αὐτή ἐστι τῇ παλαιᾷ Ἀτθίδι, tradit ad verſum 425. Dionyſii περιηγήσεως. Poſterius Doricam nempe dialectum ſuam originem ab Æolica habere ſatis etiam patet ex Pindaro, qvi cum Dorica utatur, Æolice tamen ſe ſcribere dicit, & qvidem his verbis Olymp. Ode 1.

- - ἐμὲ δὲ στεφανῶσαι
κεῖνον ἱππικῷ νόμῳ
Αἰοληΐδι μολπᾷ
χρή. Id eſt: *Me autem coronare illum equeſtri lege Æolico cantu oportet.* Erant & aliæ multæ dialecti, tot ſcilicet, quot fuere nationes,

qvæ

quæ Græce loquerentur; veluti Bœotica, Theſſalica, Chalcidica, Macedonica, Pamphylica, Argiva, Laconica, Cypria, Cretica, Sicula, Syracuſana, Rhegina, Tarentina. Verum minus præcipuæ merito dici poſſunt, quod illis nulli libri, qui ad noſtra usque tempora pervenerint, ſcripti ſint. Legantur Iſidorus Hiſpalenſis Orig. lib. 9. cap. 1. Alexander Scotus in Grammatica Græca, & Michaël Neander in Græcæ Lingvæ Erotematibus, aliique, qui ex profeſſo de dialectis ſcripſere. Narrat Homerus Ὀδυσσείας T. verſibus 174. 175. 176. 177. & ſequentibus, in inſula Creta nonaginta dialectos, quas γλώσσας adpellat, ad urbium in illa numerum reperiri. Quod reliqvum eſt, quod ſane ſummum, ſupplex Deum maximum rerum humanarum arbitrum veneror, ut litteras in patriæ uſum ac ornamentum ſartas tectasque

Z ſervet

ſervet ac tueatur, pro immenſa ſua bonitate efficiendo, ut in re litteraria ſemper ſurgant virgulta, quæ decidentium truncorum majeſtatem ſuſtineant, ne aliquando, penes quos litterarum imperium ſteterit, veluti familiæ extremi Muſarum nomina atque inſignia ſecum in tumulos trahant.

# INDEX
## RERUM & AUTORUM.

A.


ABaris inter Scythas celebris p. 274
Abrahamus an tranſtulerit literas ad Phœnices 50. 51
Academicorum ſecta 161-171
Academia quid 164
Academici unde Platonis ſectatores dicti ibid.
Academię diviſio 164-171
Academiæ veteris Principes 165
Academia media unde appellata 166
Accentus cur inventi 294. 295
Achaja unde dicta 31. in quot partes poſt Homerum ſit diviſa 32
Achajæ noviſſima ſignificatio ibid. pro univerſa Græcia uſurpata 33
Adamus litteras inſtinctu Dei invenit 49
Ægyptii primi ſenſus mentis per animalium figuras expreſſerunt 47
Ægyptiorum triplex ſcribendi genus 137
Ægyptiorum mos in edendis ſuis inventis 146
Ægyptii an literas invenerint 47
multarum rerum inventores 152. 153
Ægyptiorum modernorum ſcientiæ unde 323. 324
Æmulatio diligentiæ mater 218. 219
Æmonia quid 234

Æolum ſedes 225
Æolum colonia in Aſiam deducta 225. coloniæ urbes ibid.
Æolicæ dialecti cum Dorica convenientia 352
Æſchinus cur Rhodum petierit 299
Æſchylus primus Athenis Tragœdiam compoſuit 116
Æſchylus Poëta gravis, ibid. fortis miles 117. mos in conſcribendis Tragœdiis 118. carminis ejus de pugna Marathonia inſcriptio 117. 118
Æſopi fabularum autor 81
Æthiopes, an litteras invenerint 47
*Ἀκουσματικοὶ* quinam dicti 140. 141.
Alcman carminis amatorii inventor 110
Alexander M. Ariſtotelis diſcipulus 239
Alexandri M. miniſtrorum æmulatio bella peperit 264
Alexandrina Academia 300. 308
Alexandriæ cum Roma comparatio 301. Medicinæ ibi floruit ſtudium, 302. Muſeum, 303. 304. autor illius 304
Alexandrina Academia multis beneficiis ornata ib.
Alexandrinum Muſeum a quo dirutum 305
Alexandria quænam Eccleſiæ lumina dederit 305. 306
Alexandrina Academia 70. Interpretes multum adjuvit 308
Almanach quid 323
Anacharſ. Scythæ eruditio 287

Anacreon celebris carminibus amatoriis 110
Animæ rationalis definitio 2
Antiquitatis ſtudioſi laudandi 344
Apollonii de Cicerone dictum 341. 342
Ara Θεῷ ἀγνώςῳ apud Paulum unde 94
Arcades a Pelasgis oriundi 234
Arcades quando Italiam inſederint ibid.
Arcades unde προσέληνοι dicti 234. 235
Arceſilai mediæ Academiæ autoris ſententiæ 164. 165. 166
Arion Methymæus 111. 112
Ariſtophanes 123. ejus moderatio 124. a Platone ac Chryſoſtomo multum æſtimatus 124. 125
Ariſtotelis patria, familia, ad ſtudium incitamenta, præceptores, laudes 178. 179. 180
Ariſtotelis gratitudo in Platonem 180. ſcriptorum diviſio & appellatio, 180. 181. 182. Logica & Rhetorica 183. 184. 185. 186
Ariſtotelis cum Alexandro M. familiaritas, 186. 187 non fuit conſcius interitus Alexandri 187. 188 accuſatus in exilium abit, 189. 190. mors, ejusque ſucceſſor 190
Ariſtotelis ſcriptorum obſcuritatis ratio 193. 194. 195 excuſatio ad Alex. M. ob editos libros 193. librorum corruptio varia 194. 195. libri ejus quando editi 195. 196
Ariſtotelis de libertate Dei ſententia 202. 203. ejus ſtylus 204
Aſiaticorum ardor arripiendi lingvam Græcam 240

Athanaſius 306
Athenienſium erga optimos quosque animus 123. gymnaſia 173. ſchola 284.
Athenienſes celebres eloquentia 284. 285
Athenæ ab exteris frequentatę 286. 288
Athenienſium in accentibus diligentia 288. 289. lingva 295. ejus lingvæ corruptio unde 299. 300
Athenienſis Academia produxit viros in Eccleſia magnos 307
Athenienſium modernorum lingva 328
Dialectus cum Ionum convenientia 351. 352
Athenodorus Sandonis 314. 315
Auguſti in Græcos amor 245
Αὐγαὶ quid 278
Autoris de Græcia oppreſſa, querela 328. 329
in Turcas exprobratio 330. 331

B.

Babylonicæ Turris exſtructio quomodo impedita 16
Baronii ſententia de fine Delphici oraculi 62
Baſilius Magnus 307
Battus in Lybiam coloniam duxit 237. 238
Bella litterarum obſtacula 346
Beſſarion Nicænus 332. 333
Bocharti de confuſione lingvarum ſententia 19. 20
Britanni Græcis litteris imbuti fuerunt 257
quo medio acceperint litteras Græcas ibid.
Britannorum veteris lingvæ cum Græca convenientia ibid.

βρέμιος quid 277
Brunduſium 232
Brunduſii vocis origo 232. 233
Βουστροφηδὸν γράφειν unde dictum 52. 53

C.

Cadmi origo ac familia 39
Cæſaris Claudii lingvæ Græcæ ſtudium 245. 246
Caji Laberii carmen in ruinam Græciæ 329. 330
Caracalla 305
Carolus M. 262
Carolus XI. Svecorum Rex 350
Carneadis Cyrenæi novæ Academiæ autoris ſententia 166. 167
Carneadis eloquentia 168. 169
Carneades a Cicerone defenſus 168
Celtarum ſedes in Aſia 255. 256
 reſponſum Alexandro M. datum 256
Chaldæorum modernorum ſcientiæ unde 323. 324
Characteres lingvarum unde 9
Chriſtiani Græca lingva uſi in docendo 240
Chryſippus 175
Cicero Athenis ſtudia implevit 286
 Athenas miſit filium ibid.
 Rhodum ſtudiorum cauſa acceſſit 298
Ciceronis Rhodi doctores 298
Cicero Panætii æmulus ibid.
Cinætheus Chius Syracuſas attulit morem cantandi publice verſus Homeri 102. 103
Cleantheas 174. 175
Clemens Alexandrinus 305

Codrus Ionum coloniæ in Aſiam dux 226.227
Commentari quid 141
Comœdiæ unde dictæ 131. origo 131.132. ab initio
ſtatus 130. 131. inventores 128.129
Comœdiarum ante Ariſtophanem ratio 123
Confuſio lingvarum 18.19
Conſervatio litterarum per Noachum 50
Conſtantinopolis exſtructio 316
Conſtantinopoli capta, omnis e Græcia exulavit doctrina 326.327
Conſtantinopoleos expugnatio quibusdam ſalutaris 331
Convenientia Philoſophiæ Græcorum cum Judaica 152
Convenientia omnium ſectarum Philoſophiæ 201. 202
Corcyreorum in Illyricum colonia 236
Corinthiorum in Corcyram colonia ib.
coloniæ Syracuſas exſtruunt ibid.
Cratis amor erga Cynicorum habitum 173
Croto Urbs 231
Crotonis dignitas a quibus adaucta 231.232
Criticæ ſtudioſi laudandi 344
neglectę damnum 345
ſtudium ſine Græcæ lingvę cognitione inane. ibid.
Cynicorum ſectæ contemtus 173
nomen unde 172.173
Cynicæ familiæ inſignia 173
Cynicorum cum Stoicis communio 173.174

Cyniſmo cognomentum attributum 174
Cyrillus 306

D.

Delphicum Oraculum 57. 58. 59. 60. 61. a Gothis pervenit ad Græcos 58. 59. 60. ejus reſponſa quo ſint modo data 62. 63. oraculi hujus interitus 61
Demadis de Draconis legibus ſententia 93
Demetrius Chalcondyles Argyropyli ſucceſſor 335. Phalereus Orator mollis 214. 215. Interpretationem 70. ſvaſit 308. 309
Demoſthenes 208. 209. 210. ejus ſtudium eloquentiæ 208. 209. familia, 209. 210. ipſe irriſus 289. 290. inventum extorquendi auditoribus teſtimonium 289. 290
Deo libertas a Philoſophis tribuitur 202. 203
Δεὺς vocabulum unde 46
Deus unde dictus ibid.
Diſcipulorum doctores, audientium mos 315. 316
Diſcrimen inter Græcorum ac Phœnicum litteras 51
Diſperſio gentium quando facta 24
Diſperſionis modus qualis habeatur 24. 25. 26
Dithyrambus quid 111. 112
Diviſio Iliadis & Odyſſeæ in ordinem ac numerum Græcarum litterarum, quando facta 101
Dodonæum Oraculum 56. 57. unde 56. 57
Dorum in Rhodum Cretamque navigationes 224. 225

Draconis leges Athenis conſtitutæ 92. ſententiam harum ſecuti Stoici ibid. legum ſeveritas 93
Δρῦς quid 278

E.

Eloquentia quando apud Græcos excoli cœperit 208. quando inclinari cœperit 214
Emanuel Chryſoloras 332
Emanuelis Chryſol. ſcholæ ac diſcipuli 332
Ennius a Scipione valde dilectus 241
Epicureorum ſecta 197-201. ſectæ fundatores 197
Epicuri flagitium ibid. dogmata impia 197. 198. 199
Epicurus excuſatus & laudatus 198
Epicureorum multitudinis cauſa, 199. 200
horum cum Stoicis certamen 200
Epicuri defenſor ibid. ejus hortus Athenis 201
Epicuri de mundo ſententia 203. ſtylus 204
Epimenides 93
Epimenidis conſilium Athenienſibus datum 93. 94
Ἔργα Opus Heſiodi ubi reſervatum 80
Eraſmus Roterodamus 339
Eruditorum paucitatis cauſa 344
Eruditio ſine Græcis litteris manca 346
Euripides Tragicus 116. 120
Euripidis carminibus honos habitus 121. 122. quo tempore floruerit 122. informatores 121
Euripidi cognomentum impoſitum ib.
Euripidis familia 120
Euſebii aſſertio de Poëtis ante Homerum 44. 45. 46

Fabu-

F.

Fabula de Cadmo 37. 38
Fabula de deleto exercitu Xerxis ac Brenni ad Delum 60. 61. de reſponſo Delphici Oraculi Pyrrho dato 63. de ſvaviſſimo cantu Orphei explicatio 74. 75. de tradito a Muſis calamo Heſiodo 80. de Rhodiis nivibus aureis a Jove irrigatis 296. 297
Fides in Præceptorem apud Pythagoreos 138. 139
Filii hominum in Scriptura quinam 21
Φυσικοὶ quinam dicti 142
Φυσικὰ tantum tractabant viri Eruditi ante Socratem 157

G.

Galli ſine ullo damno Apollinis templum ſpoliarunt 61
Galli Maſſiliæ litteris operam dedere 252
Gallorum lex de peregrinatione in Græciam 253
Georgius Trapezuntinus 333
Gellii ſententia de libris Ethicorum ac Politicorum Ariſtotelis 181. 182
Gentilibus quibusdam myſterium de Chriſto revelatum 21
Genius ſeculorum cauſa cumulationis eruditorum 219. 220
Germanorum lingvæ cum Græca convenientia, unde 258
Germanis litteræ Græcæ unde innotuerint ibid.
Geſtibus nomina pronunciare ineptum 5
Getis multi eruditi fuerunt 272

Getæ

Getæ unde hauſerint ſententiam de immortalitate animæ 272. eorum ſententia de animis poſt mortem 273
Getæ, quo nomine Deum appellarunt 273
Gothi antiqui Muſicæ ſtudioſi 75.76
Gothicæ Runæ Græcarum litterarum matres 267
Gothicarum litterarum denominatio 56
Gothorum lex de peregrinationibus in Græciam 283
Gothicæ lingvæ conformitatis cum Græca exempla 276-280
Gothica lingva quomodo corrupta 320.321
Græca monumenta exſtant longe ante Homerum 45.46
Græcorum Patrum de numero lingvarum exortarum in earum confuſione, ſententia 23
γραικία & γραικὸς an reperiantur apud auctores Græcos 27
γραικὸς unde 28.29
Græcia unde ἑλλὰς appellata 29
pars ejus quænam in ſpecie ſic dicta 30
Græciæ primi incolæ 34.35
Græcarum litterarum autores 35
Græcorum de Ione error ibid.
Græcarum litterarum conſervatores 40.41
Græcæ litteræ unde Phœniciæ ac Cadmeæ dictæ 39
Græcos antiquos, mos Hebræorum ſiniſtrorſum ſcribendi non latuit 52
Græcæ litteræ antiquiores Pelasgicæ dictæ, 43.44
lingvę præ Romana ſvavitas 128

Græ-

Græcarum litterarum origo 55. 56
Græci Comici Latinis longe ſuperiores ibid.
Græcis Hebræi quando cogniti 148
Græcorum Philoſophorum ætas 153. 154
nemo doctus ante Moſen 155. 156
Græci in Ægypto rudimenta eruditionis poſuerunt 152. 153
Græcorum priſca ſapientia Muſicæ inprimis addicta 103
Græci quando abundarunt eruditorum copia 218
Græcorum eruditorum copiæ cauſa 218. 219
laudes 220
Græca lingva latiſſime per orbem extenſa fuit 221
ad divulgandum Evangelium Deo aptiſſima viſa 222
quibus mediis per orbem diſperſa 224. 238. 239. 275
Græci colonias ubique deduxerunt 224
Græcorum colonia antiquiſſima quænam 224
in Aſiam coloniæ deductæ 224. 225
in Italiam expeditio 227. coloniæ in Italia unde Græcia major dictæ ibid.
Græcia Major, quomodo a Græcis appellata ibid.
Græciæ Majoris urbes a Græcorum coloniis conditæ 229-233
Græcorum aliæ coloniæ 236-238
Græciſſantes urbes quænam 239. 240
Græcæ lingvæ uſum Aſiatici arripuerunt 240
hujus primi Romæ doctores 240. 241
uſus apud Italos 246

Græci a quibusnam Græculi dicti 247
Græca lingva Romanis veteribus exoſa 248
— quando Romæ florere cœperit 249
ſcripta quando in Italiam invecta ib.
Græcæ lingvæ antiquæ cum Antiqua Romana convenientia 249. 250
Græcæ literæ quænam Ionicæ 250
qua occaſione Gallias intrarint 250. 251. Galli uſi ſunt 251
Græciſmi in Gallica lingva unde 252. 253
Græciam Galli adierunt ad diſcendam lingvam 253
Græcæ literæ quo medio ad Britannos pervenerint 257. quomodo ad Germanos penetrarint 258
ad Moſcovitas usque venerunt 258. 259
Græca vocabula apud Judæos reperiuntur 260. 261
Græcia ſub Alexandro M. ad ſummum evecta faſtigium 262. 263
Græcæ lingvæ uſus apud Judæos quando invaluerit 263. 264
Græci antiqui accentus non pingebant 292. ubi & cur quosdam raros adhibuerint accentus 293
Græci verbis non facile, ſcriptis autem facillime, fallere potuerunt 292. 293
Græca lingva quomodo corrupta 295
genus dicendi triplex 300
Græca lingva toti Orienti communis 316. 317
ejus ſenilis ætas 137. &c.
Græci litteras omnium maxime excoluerunt 324
— ſtudii earum extinctio 324. 325

Græca

Græca quibus lingvis miſta 327. 328
Græcorum eruditi Conſtantinopoli capta Italiam intrarunt 331
Græcæ literæ iterum longe lateque propagatæ 339. 345. in Suecia neglectæ 346
Græcæ lingvæ in dialectos diviſio 350. 351
ejus dialectus communis 351
Gregorius Nazianzenus 306
Gregorius Typhernas primus Græcæ lingvæ Lutetiæ Profeſſor 339
Grammaticæ Græcæ primæ 337. 338

H.

Hebræa omnium lingvarum prima 8. 9
Hebræa lingva ante confuſionem lingvarum omnibus fuit communis 12. poſt lingvarum confuſionem, apud Semitas integra manſit 13
Hebræorum ſententia de numero lingvarum ab initio exortarum 23
Hebræa lingva Deus in V. Teſtam. uſus eſt 222
quomodo cum Græca commiſta 263. 264
Hebræi liberis ſuis Græca nomina impoſuere 266
Hebræi multos Græcorum mores aſſumſerunt ib.
Hebræorum lingva corrupta 318. triplex ejus poſt corruptionem dialectus 318. 319
Hebræorum horror a communione gentilium 148. 149
Hebræorum odium in verſionem 70. Interpretum 149
Hebræi Græcam lingvam valde amarunt 265

He-

Hebræorum Sacerdotis Summi Alexandro M. facta promiſſio 265. 266
Hemmingus Gadd. 348
Hermonymus Spartiata 339
Herodotus unde Hiſtoriæ parens dictus 205
Herodoti ſtylus ibid.
Herodotus quando vixerit ib.
Heſiodus 79. 80
Hexametrum carmen unde Deliacum dictum 66
Hippocrates Cous 132
Hippocrati variæ laudes tributæ 132. 133
Hipponax Epheſius Jambi claudi autor 134. 135
Hiſtoria a Græcis quando exculta 204. 205
Homerus laudatus 81. 82. 83
Homeri carmina ab Alexandro M. æſtimata 81. 82
carmina cur rejecta 82. 83
Homerus an cœcus natus 84. 85. voluptates vitavit 85. patria, quæ 85. 86. 87. 88. carmina a quo Athenis recepta 101. 102. an Heſiodo antiquior 89. 90

I.

Jamblichii ſententia, nomina ſignificare κτ̓ φύσιν 4
Interpretatio 70. quanti æſtimata 311
Interpretationi 70. multæ afflictæ fabulæ 311. 312
Interpretationis 70. ingens uſus 312. 313
Invidiæ indoles 247. 248
Invidiæ pœna juſta 248
Johannes Argyropylus 335
Johannes Laſcaris 336

Johan-

Johannes V. Papa 337
Johannis Mori de Laſcare teſtimonium 338
Johannes Chryſoſtomus 307
Johannes Reuchlinus 339. 340
Ionicæ ſectæ Philoſophorum Principes ſucceſſores (160. 161
Ionum in Aſiam migratio 226.
Ionum coloniæ dux 226. 227
Joſephi ſententia de tempore originis litterarum Grajarum 44
Joſephi aſſertio de columnis Sethitarum 50
Joſephus Scaliger 260. Joſephus Judæus 262
Iſocrates orator laudatur 211. ſepulcro ejus impoſita ſtatua ib. diſcipuli multi 111. 112. orationis ad Demonicum autor 212. 213. 214
Itali a Græcis genus ſuum deducunt 233. 234

L.

Lacedæmonii quo Rege imperium Græciæ adepti (91
Lactantii ſententia, cur Græci non intraverint Judæam 150. 151. 152
Lacydes Cyreneus non fuit novæ Acad. autor 168
Latini Comici Græcis longe inferiores 128
Latina lingva Græcæ ac Hebraicæ in cruce Chriſti adjuncta 223
Latina lingva Romani uſi ſunt in omnibus provinciis ſibi ſubjectis 223
Latina vocabula unde Novo Teſtam. inſerta ib.
Latinam lingvam neſcire periculoſum 223. 224. illa immutata 319. diviſio 319. 320. quando maxime corrupta 320. Italicæ, Gallicæ ac Hiſpanicæ mater ib.
Leucippus 197.

Lilii Gyraldi apud ſectatores ſuos autoritas 138
Lineæ unde verſus appellatæ 53. 54
Lingvarum mutationum cauſa 321
Litterarum commodum 49. earum in Europa profectus 342. 343. 346. 347
Locrorum triplex diviſio 230
Lux vocabulum unde 278
Luciani de Epicuro ſententia 198
Luciani teſtimonium Gallos Græciam frequentas-(ſe 253
Lucretius Epicuri defenſor 200.
Lycurgus 90. 91
Lycurgus Poëſin Homeri Spartam tranſtulit 91
Lyrici Poëtæ 105. 106. ſeq.
Lyricorum denominationis cauſa 106

M.

Μαθηματικοὶ quinam, eorumque jus 141. 142
quinam in ſpecie dicti 142
Μάνος quid 279
M. Cenſorius Cato 244. Græcos amavit 244. 245
Marcus Muſſurus Grammaticus ac Poëta 336
Maſſilia 251. multis exteris frequens 253
Maximus Planudes 336. 337
Medelpadia nomen proprium unde 277
Menæchmi error 105
Menander Comicus 125. 126. 127
Menandri patria 126
Mercurius primus litterarum inventor habitus in Ægypto 46
Mercurius ab Ægyptiis appellatus Theuth ib.
Merckie Merkurßmann quid 56
Mercurium Sveones coluerunt 69

Mile-

Mileſiorum coloniæ 236. 237
Minerva Athenas Rhodio prætulit 296. 297
Monachi cujuſdam a Græca lingva ac Hebræa dehortatio 325. 326
Moſcovitæ Græcæ lingvæ non ignari 258. 259
Moſcovitarum religio Græcorum fidei fere conformis 259. 260
Moſes non eſt inventor litter. 48
Moſis in deſerto doctrinæ 153
Moſes omnibus Græcis doctis antiquior 155. 156
Moſes Inacho longe antiquior 156
Muſici quondam idem ac Poëtæ 98
Myſteria Dei gentibus innoteſcere nefas fuit 313. 314

N.

Nænia Cea 10
Nehemiæ ſtudium ad conſervandam integram lingvam Hebræam 263
Neo-Academicor. differentia a Pyrrhoniis 169. 170
Nicolaus Ragvaldi 348. 349
Nimrodus unde dictus 18. ad exſtruendam Turrem Babylonicam Noachitas inſtigavit 14. appellatur ἀρχηγέτης ſtructuræ Babylonicæ 15. unde Venator fortis appellatus 15
Ninive, 17
Noachitarum conſilia, ne ſui memoria extingva-(tur 14
Nomina Deo ab Orpheo attributa 74
Numerus lingvarum in everſione Turris Babylonicæ exortarum non certo conſtat 23

O.

Olaus Laurentii 347. Olaus Aboenſis Epiſcop. 348

Ονοματοθεσία Adami evincit Hebræam lingvam eſſe antiquiſſimam 9
Oracula Græcorum Sveciæ debent originem 56.57. 58. nec poſt Chriſtum natum, nec poſt ejus mortem plane conticuerunt 61. 62
Origenes 305. 306
Orpheus natione Geta e Gothia multa ſacra in Græciam tranſtulit cum doctrina Muſicæ 73. 74. primus Bacchi feſtum in Græcia celebravit 74. primus arte medendi clarus apud Græcos 77. 78. quo tempore floruerit 78

P.

Palinodia quid 110
Panætius 299
Πάτῳ nominis explicatio 277
Peccatum in exſtructione Turris Babylonicæ com- (miſſum 16. 17
Pelaſgia unde nomen accepit 33. 34.
Pelaſgi inventum 34. poſt Arcades Italiam inſederunt 234. Arcadibus opem tulerunt contra Siculos 235
Pererii ſententia an omnes homines convenerint ad exſtruendam turrim Babylonicam 22
Peripateticorum ſecta 178- 196. (297. 298
Peſidonius Stoicus a Cicerone multum honoratur
Phemonoë carminis Hexametri inventrix 63
Philemon maximus Comicus 127. 128
Philemonis mors 127. 128
Philippus Melanchthon 349
Philo Platonis imitator 261. 262
Philoſophiæ nominis autor 137
in Græcia florere cœpit 157
Philoſophorum Græcor. duæ principes ſectæ 159. 160

Phi-

Philoſophi ſententia qualis eſſe debeat 169
Philoſophiæ ante Ariſtot. obſcuritatis cauſæ 191. 192
Philoſophorum ſectarum diſſenſiones unde 203
Phœnices litteras a Gothis acceperunt 55. 56
unde Pœni in Africa dicti 39
Phœnicum ab Iſraëlitis expulſorum migratio ib.
Phocylides Mileſius Poeta 134
Pilatus non fortuito inſcriptionem crucis Chriſti tribus notis lingvis conſignavit 222
Pindarus Lyricorum Poëtarum princeps 106. ab Athenienſibus amatus 106. 107. a Corinna victus excuſatur 108. 109. poſt mortem a multis honoratus 107. 108. informatores ejus 109. eloquentiæ Omen 106. Piſiſtratus 101
Platonis elogia, honores, peregrinationes aliæque res geſtæ 161. triplex Philoſophandi modus 163 164. ſectatores unde Academici dicti 164
Plato quosnam imitatus 163. ejus de libertate Dei ſententia 202. 203. ſtylus 203. 204. naturæ gratias egit 285
Poëſis quando ad ſummum faſtigium perducta 218
Poëtriæ celebres non uno tempore in Græcia fuere 112. 113
Poëtæ eruditionis Græcæ conſervatores 72. 73. 7. celebres apud Regem Philadelphum 215. 216. Romani Græcos in-
Poëtarum Lyricorum carmina 114. 115. (viderunt 247
quorundam mos in conſcribendis carminibus 118
Πολιτικοὶ quinam 142. 143
Pompejus M. Rhodi frequentavit Doctorum lectiones 297
Pompeji M. deſcriptio 297
Pomponius Atticus Athenæ ſtudia perfecit 287
Ptolomæus Philadelphus 70. convocavit Interpretes 308. 309
P. Craſſus brevi tempore Græcam lingvam didicit 294. 295
Pyrrhonii originem non habent ab Homero nec 7. Sapien-
Πῦρ vocabulum eſt Gothicum 281 (tibus 171
Pythagoræ patria, præceptores, præceptoris patria, peregrina-

grinationes, ſedes ac ætas quo floruit 136. 137. 154. ſymbola unde 137. 138. diſcipulorum diviſio 139. 140. diſcipulorum receptorum debitum 144. honos póſt mortem habitus 147. Philoſoph. ſuam a Judæis non accepit 148. ſq.
Pythagoreorum & Pythagoriſtarum differentia 143. 144 eorum mos ſi quidam defecerit a placitis Pythagoræ 144. 145. 146. mos in edendis ſcriptis ſuis 146. apud omnes æſtimatio 146. 147

Q.

Q. Fabius Hiſtoricus 242. 243

R.

Rationis uſus 2. ſine loquela exiguus ib.
Ῥαψῳδία unde dicta Homeri carmina 104
Ῥαψῳδὸς vocabuli varia uſurpatio 104. 105
Rapſodorum varia in canendo veſtimenta 105
Reges Regumque filii Athenas miſſi ad ſtudia exercenda 287
Remedia malis tardiora 343. 344. Rhodiorum Academia 296
Rhodus multis eruditis frequens ibid.
Romani originem ſuam ab Aboriginibus deducunt 235. Senatores unde Lunam in calceis geſſerint ibid. iis ante Auguſti tempora non licuit palliis uti 242. eorum multi unde ſuas res geſtas Gr. idiomate conſignarint 243. multa Græca ſcripta in Latinam lingvam verterunt ib. veteres litterarum ſtudioſos nominarunt Græculos 248. ob notas quaſdam multas lites egerunt 294. pueri eorum Græcis litteris ſunt eruditi 246
Rudbeckii de confuſione lingvarum ſententia 20. de translatione litterarum ad Græcos ſententia 55. 56

S.

Sacerdotis cujuſdam Ægyptiaci ad Solonem de inertia Græcorum dictum 154. 155
Sapientum ſeptem nomina ac ſymbola 95. 96
Sapientia Dei ex viciſſitudinibus lingvæ Græcæ etiam colligitur 342
Sappho ingens in carminibus amatoriis 110.
Saraceni vaſtationibus Græciæ lingvam ſimul corruperunt 317. 318. Græcorum libros in ſuam lingvam verterunt 321. 322. Græca multa retinuerunt vocabula 322. 323. eorum in Medicina ſtudia, Græcis ſcriptoribus attribuenda 322
Scipionis ſtudium Græcæ lingvæ 241. 242

Scythæ

Scythæ Athenas ad ediſcendas litteras venerunt 287. ſingulari mentis ſolertia præditi 275
Scholarum in Græcia adjumentum ad propagandam lin-
Scholaſticorum imperitia 342. 343. (gvam Græcam 284
Σεβαστικοὶ quinam 142
Semitæ manum Turri Babylonicæ non admovere 21
Sepulvedæ ſententia de libris Ariſtotelis exotericis 182. 183
Sermo omnibus natura inditus 1. Protoplaſtorum non fuit ex inſtituto 6. amicitiæ vinculum 24. ejus lenta mutatio nemini gravis 239
Simonides Ceus 109. ejus præcipua virtus in cienda commi-
Societas ſine ſermone nulla 1. (ſeratione, ibid.
Socrates 157. 158. inprimis Ethicæ ſtudioſus 158. conſtans ib. accuſatus 158. 159. ejus ſchola tres celeberrimas Philoſophorum ſcholas produxit 161. ſeqq. ſententia de incerti-
Solon 99. 100. (tudine rerum 165
Sophocles celebris Tragicus, 116. ejus ſententia de more Æſchyli in conſcribendis Tragœdiis 118. in carminibus ſvavitas, ejusdem 118. 119. fabula ultima 119. a Baccho a-
Σοφὸς ſive σοφίστης quid 97. 98. (matus ibid.
Σοφοὶ inprimis Muſici ſunt appellati 98. Ariſtotelis ſen-
Sozomenes 307. (tentiâ quinam 99
Steſichorus Palinodiæ auctor 110
Stoici Ethicæ optimi doctores 175. eorum ſecta 171-178. nominis origo 173. cum Cynicis convenientia, 173. 174. ſucceſſores, 179. 175. ſecta Chriſtianiſmo proxima 176. 177. ſectæ ejus apud Romanos aſſeclæ 176. ſententia de cauſa combuſtionis 178. cum Epicureis certamen 200. de libertate Dei ſententia, 202. 203. ſtylus 204
Sveones Academiam Pariſinam frequentati ſunt 347. eorum majores Muſicæ dediti 75. litteris multum operæ dedêre 270. 271. antiquiſſimorum apud eos Poëtarum nomen & dignitas, 271. Poëtarum imitatores 271. 272. prima emigratio, quando facta 281. 282. cum Græcis magna communio 283. modernorum in Gr. litteris incrementa 349. ſ.
Sveci ab exteris ob inſignē erudit. ad dignitates evecti 347
Sibyllæ ſunt variæ, 67. 68. vocis origo 71. 72. earum antiquisſima 67. antiquiſſimæ apud Romanos veneratio ib. an tales

les fuerint, 68. veneratio juſto major 68. 69. fuerunt vaticinæ 69. de Chriſto prædictiones unde 70.71
Sibyllarum Oracula, 66. 67. 68. (circumferuntur 71.
Sibyllinæ non omnia putanda oracula, quæ eorum nomine
Σινάπιον quid 276
Sylla 249. 195. Symbolorum uſus 138
Syri poſteriores multa ex Græca lingva mutuati ſunt 261
Tarſenſis Academia 314. ejus civis Paulus 315. Teleſilla 114.
Thales Ioniæ ſectæ auctor & Princeps 160. deſcriptio & laus
Theocritus Poeta laudatus, 216. ejus patria 216. 217. (ej. 99
Theocriti Philoſophi mors 217. Theognides 134
Theodorus Gaza 324. (ex lege divina 149
Theopompi & Theodecti pœnæ ob promulgata quædam
Thucydides ab Herodoto inſtigatus ad ſcribendum, 205. 206
quo tempore ſcripſerit, ibid. ejus ſtylus 206. 207
Tiberius Rhodi ſtudiis incubuit 298. 299
Togarum uſus quando evanuerit 242. (131. 132
Tragœdiæ inventores, 129. 130. nomen unde, 131. origo ejus
Turcarum in bonas artes animus 327. Tyrtæus Laco 136. 137

V U.

Vates antiqui Græcorum ſcholas inſtituêre 72. 73
Vetus Teſtamentum jam ante Perſarum Monarchiam in Græcam lingvam translatum 70
Victoris ad ingenium omnia ſe flectunt 239
Virgilius imitator Heſiodi ac Homeri 90
Viri eruditi, Homeri tempore 78 79
Ulphila litteras Gothorum non invenit 267. 268. 269
litteras Gothorum auxit 269. 270
Vocabula non ſignificant naturaliter 3
non a quovis mutanda 5

X.

Xenophanes Colophanius autor Philoſoph. Lucianæ 159. 160
Xenophontis ſtylus gravis 206. liber de vita Cyri laudatus
Χύτλος & χύτλον quid 276. 277. (206. 207
Zaleucus Locrenſium legislator 231
leges factas ſtrenue obſervat ib.
Zenonis patria, ad ſtudia occaſio, Præceptores, vitæ genus
Ζεὺς unde 46. (171. 172

F I N I S.

VA1
1549123